DE NATIONE TORTORUM CHRISTI

Adverſus nuperum Scriptorem Gallum

DISSERTATIO

F. JOSEPH - MARIÆ
PERRIMEZZI,

ORDINIS MINIMORUM S. FRANCISCI DE PAULA,
SS. D. N. BENEDICTI XIII. Prælati domeſtici, ac Pontificio Solio Epiſcopi aſſiſtentis, Sanctæ Oppidenſis Eccleſiæ Epiſcopi.

AD

EXCELLENTISSIMUM DUCEM

D. CAJETANUM ARGENTIUM

PATRICIUM CONSENTINUM,

Regiam Cancellariam Regentem, ac Sacri Neapolitani Conſilii Præſidem.

ROMÆ, MDCCXXVII.
Ex Typographia Komarek, In Viâ Curſûs.

Superiorum Facultate.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD EXCELLENTISSIMUM DUCEM

D. CAJETANUM ARGENTIUM,

PATRICIUM CONSENTINUM,

Regiam Cancellariam Regentem, ac Sacri Neapolitani Conſilii Præſidem,

AUCTOR.

QUÆ duo, in librorum editione, ad quærendum patronos, qui eoſdem tueantur, Auctores ſuos maxime impellunt; in-

Digitized by Google

tima ſcilicet literarum cognitio, & impenſa erga literatos homines benevolentia; hæc in Te *uno*, Dux Excellentissime, *ad laboris noſtri ſolatium, nos inveniſſe, gloriamur. Quum enim pleriſque, etſi literas apprime poſſideant, literatorum amor ut plurimum deſit; vel quia alios, præter ſeipſos, ſapientes non reputant; vel quia alios, extra ſeipſos, charos non fovent: Alii vero, & quidem non pauci, etſi Doctos amore proſequantur; doctrinam tamen aſſequi, vel nequeunt, vel detrectant: hinc potiſſimum evenit, ut in eis patrocinium comparare, qui labores ſuos publici juris faciunt, omnino deſperent.*

Tu *autem*, amplissime Præses, *qui, ab ætatis tuæ exordio, caſtiſſimo ſinu Minervam fovisti, & deinde, per totam ferme vitam, in ſcientiis omni-*

omnibus caput undequaque extuliſti; itaut miraculum evaſeris ſapientiæ, non iis tantum, qui Te ad oculum cognoſcebant, verum & illis quoque, qui famæ tuæ claritatem, per omnes orbis partes, admirabantur: Quique etiam omnes, qui doctrina florebant, amore & favore proſequi, nullo unquam tempore, deſtitiſti; jure Tibi vendicas, lucubrationes noſtras ſub umbra tua peramanter recipere, ac tuo ſuffragio humaniter honeſtare.

Ecquis enim eſt in Civitate noſtra, vel etiam in aliis exſterorum regnorum urbibus, cui compertum ſatis non ſit, quantum ſapientia tua præſto fuerit Regi, Patriæ, ac iis omnibus, qui pro Rege, pro Patria, ſuprema jura moderabantur? Quos latet, ſive intra, ſive exſtra, regnum noſtrum, ſapientes Viros, in Te uno & Paullos,

&

Digitized by Google

& Papinianos, & Scævolas, antiquorum temporum conſultiſſimos, cumulate comprehendi? Quibus denique non patet, in Te redivivos Bartholomæos a Capua, & Nicolaos a Neapoli, quibus olim ſumma rerum in hoc regno commiſſa eſt, ad commune gentis noſtræ bonum, quod Tibi ſolum cordi eſt, regere, & perennare?

Ad hæc, quæ fortaſſis Scriptoribus cæteris aliarum gentium convenire videntur, accedunt, quæ peculiaria ſunt ſane, & mei ipſius, & laboris mei, qui, uno eodenque amoris & obſequii argumento, nomini tuo conſecramur. Scilicet, quia nationis noſtræ vindiciæ Tibi in hoc opere offeruntur; quam ſicut Tu, etſi in ſublimi elatus auſpicio, ſed non eminentiori quidem virtute tua, nunquam erubuiſti; ita & eandem ab iis, qui bono noſtro

noſtro dolebant, modeſtia tua magis, ac moderatione ſumma, quam tanta, qua ſplendes, poteſtate, tueri fortiter, ac ſuaviter, non exigua opera, procuraſti. Et inſuper, quia breviſſima ſunt opera Minimi ex Conterraneis tuis; quos omnes ut vides pro Republica, pro Religione, pro Patria, die noctuque labores ſuſcipere, illico eos omnes in tuam ſuſcipis fidem, illiſque vires addis, ut fortia quæque, ad commune bonum, aggrediantur.

Quis ergo nos arguat, ſi literarium pro natione noſtra bellum ſuſcepturi, ſub alienis auſpiciis militare, inopportunum, ſub tuis autem, REGENS SAPIENTISSIME, *juſtiſſimum judicavimus? Tu enim, quis hominum ignorat? commune ſolum nativitate exornaſti, virtute decoras, dignitate vero quam maxime illuſtras. Et ſicut,*

Te

Te ſoſpite, clariſſimos Viros, Majores noſtros, quos ſapientiæ muneribus exornatos, & doctrinæ laureis redimitos, priſca ætas coluit, non deſideramus: Ita & alios gentis noſtræ proceres, quibus prima honorum culmina, & poteſtatis ampliſſima jura, collata ſunt, Te protegente, vetuſto tempori non invidemus.

Ad quid igitur foris inquirere Patronos, qui defendere quandoque coguntur, vel quod nolunt, vel quod nequeunt, vel quod ignorant? Hoc ſane Scriptoribus animum imminuit, deflectitque vires; unde poſtmodum conqueruntur, vel oleum operamque perdidiſſe, vel, quod deterius eſt, pro Patrono inveniſſe hoſtem, pro patrocinio calamitatem. Hinc ut plurimum laboribus ſuis poſteritati prodeſſe nolunt, quia non inveniunt Virum, cui

illos

Digitized by Google

illos tuto commendent; & amicos ſolatio deſtituunt, quia tutelam in Protectore nanciſci, omni rerum eventu, etſi præter quemcunque ordinem juris, omnino deſperant.

Nos autem nec de voluntate tua, DUX EXCELLENTISSIME, *nec de tua poteſtate, ancipites, ingenti ſtudio, hoc, qualecunque opus noſtrum, Tibi, Patrono optimo, ſapienti Duci, Præſidi integerrimo, ac amantiſſimo Conterraneo noſtro, dedicamus. Si enim tua ſtudia univerſa eo collimant, ut non Tibi, ſed Reipublicæ, proſint; ſi labores tui, qui Te totum occupatum retinent, non filiis, ſed Principi, unice devoventur; ſi opera tua denique, non ad domum tuam, quam omnino negligis, non ad perſonam, quam Tu ſolus non magni pendis, ſed ad Patriam, maxime, & undequaque, or-*

dinantur: *Qua poſſumus nos ratione formidare*, *non Tibi fore acceptum opus*, *quod pro veritate primum*, *deinde pro natione*, *ſuſcepimus*; *& quod modo*, *in venerationis noſtræ pignus*, *& in perenne amoris argumentum*, *Tibi*, PRÆSES AMPLISSIME, *conſecramus*?

LE-

Digitized by Google

LEGENTIBUS
DE OPERE
PROLOQUIUM.

PIETAS erga Patriam cunctis gentibus inſeritur a natura; quum, occulto ſane, at mirabili, impulſu operetur, ut nativitatis bonum, ſaltem poſteriori loco, a natali ſolo cognoſcamus. Nativitati accedit educatio, quam ut plurimum ſortimur in eo ipſo loco, in quo naſcimur; ex quo fit, ut vehementiori amoris ac gratitudinis vi erga Patriam ducamur. Parentes quoque, Neceſſarios, Amicos, ſaltem primos, ibidem amplectentes; comperimus hoc ipſo multiplicari vincula, quibus regioni, quæ illos nobis primo offert, dulcius adſtringimur. His omnibus additur, quod fere ubique gentium experimento probatur, Patriæ, vel decora, vel probra, incolis communia reddi; ac proinde nobis, vel cedere ad laudem, ſi concives ſint laudabiles, vel ad dedecus, ſi culpabiles comperiantur.

Hinc non mirum, ſi pro Patria tuenda legimus, & fuiſſe illos, qui rem familiarem vendere non hæſitarunt; ut Q. Fabius Maximus, qui cuncta ſua, ad Romæ præſidium, venum expoſuit: Et illos quoque, qui ſe imperio abdicarunt, ne Patriam contendentium armis exponerent: quod de Othone dicitur, qui Imperator eſſe deſiit, ut cives a Vitellii furore vindicaret: Et illos demum, qui vitam, ad Patriæ excidium avertendum, libenti animo dederunt; ut Codrus Athenis, & Curtius Romæ, pro Patriæ ſalute, certiſſimæ ſe morti objectarunt.

Quid ergo mirum, quod nos, nil calamo pretioſius habentes, illum ipſum admovere libentiſſime nitimur, ut Patriam, Gentemque noſtram, ab invidentium technis vindicemus? Patriam ſane non erubeſcimus; immo tanti eam facimus, ut beneficii loco reputemus, eam a ſummo rerum Datore, præ cæteris aliis, accepiſſe. Proindeque tantum abeſt, ut nos pudeat conviciorum, quibus impoſtores audaciſſimi eam proſcindunt, ut potius ex illis opportunitatem ſumamus amorem noſtrum erga Patriam probandi, quum alacri quidem promptoque animo, ad eoſdem confutandos, ac falſitatis, ſi non æmulationis, ac mendacii, arguendos, calamum tractare aggrediamur.

Et eo magis ad perficiendum hoc nos expe-

peditos paratoſque experimur, quod uno eodemque tempore, & Patriæ conſulimus, & veritati litamus. Adeo nanque perſpicua hiſtoriæ monumenta nobis ſuppetunt, ad rem noſtram defendendam, ut quicunque illis oppoſita ſcribere auſi fuerint, eadem publicaſſe erubeſcant. Attamen, etſi pro domo noſtra ſcribamus, nolumus profecto, ut nobis fides, abſque ratione, reddatur; nec intendimus, ut a quovis oredantur quæcunque aſſerimus, niſi ad veritatis criterium probata comperiantur. Qui vero legent, ſi partium ſtudiis detentos ſeſe fortaſſis deprehendent, illos rogamus, ut antea privatarum affectionum præjudicia deponant, & deinde pro veritate, ſincero quidem liberoque judicio, judicabunt.

Cæterum adeo proclive eſt hominum ingenium ad detrahendum, ut cuique nationi, ſuum ſtigma, neſcimus, an licentius, vel injuſtius, impoſitum, facile ſit adinvenire. Si Brutii noſtri Romanis infeſti dicti ſunt, Galli proclamati fuere infeſtiſſimi; adeout Marcus Cato, oratione apud Saluſtium, de bello Catilinæ, Gallorum gentem dicere non dubitaverit, *Gentem Romano nomini infeſtiſſimam*. Si contra Romanam Rempublicam Brutii aliquando arma tractarunt, in iiſdem tractandis adeo Galli pertinaces fuerunt, ut Romæ lex lata dicatur, qua

Sa-

Sacerdotibus nefas erat militiæ nomen dare; ſolo excepto bello, quod contra Gallos admovebatur. Poſterioribus deinde temporibus, quemadmodum Romanis & Græcis in ſuſpicione fuerunt Galli, Brutii nunquam fuerunt; quapropter de illis, non de his, in vita Caroli magni, fol. 99., ſcripſit Eginardus: *Erat ſemper Romanis & Græcis Francorum ſuſpecta potentia*.

Norunt inſuper Eruditi, quid de aliis gentibus, quæ ultra montes natale ſolum habent, Seneca, lib. 2. de ira cap. 2. ſcripſerit: *In frigora, ſemptentrionemque vergentibus, immanſueta ingenia ſunt, ut ait Poeta, ſuoque ſimillima cœlo*. Et cap. 15. *feritate liberæ gentes, leonum, luporumque, ritu, ut ſervire non poſſunt, ita nec imperare*. Norunt quoque, quid evulgaverit de Romanis ipſis Salvianus, lib. 6. de Gubernat.: *Ibi præcipue vitia, ubicunque Romani*. Et, ut cæteras gentes ſilentio prætereamus, norunt denique, quid Cornelius Tacitus de omnium gentium hominibus ingenue prodiderit: *Vitia erunt, donec homines*. Si igitur ab hominibus nationes conſtituuntur, & hominibus cunctis congenita ſunt vitia, quæ erit ſub cœlo natio, nævis ſaltem ſuis, ſi non vitiis, dehoneſtata?

Nec quod nævis ſuis gens ſua fœda dicatur,

tur, ſive jure, ſive injuria, homo ſapiens probri loco habebit. Scit etenim ex Ariſtotele, apud Laertium lib. 6., *quod nemo glorietur, quod magnæ urbis civis ſit, ſed quod ſit dignus magna & illuſtri patria*. Quis non illuſtrius putabit decus, honorem Patriæ conferre, quam a Patria mendicare? Et quis turpius non habebit dedecus, quod Patriæ infertur, quam quod a Patria ſuſcipitur? Ita porro Cleobulus, unus ex ſeptem Græciæ Sapientibus, apud Laertium lib. 1., dicebat: *Quibuſdam eſt Patria dedecori, quidam ſunt Patriæ dedecori*. Et nonne etiam Chriſtus Dominus a Patria dedecus ſuſtinuit, quando Judæi, ipſum conviciantes, obloquebantur: *Quid boni a Nazareth?* Non ergo mirum, ſi aliarum gentium homines contra Brutios ſcriptitant; contra omnium gentium homines homines effutiunt. Attamen quod ſcribunt Scioli attendunt, Sapientes vero Viri quod vere & bene ſcribunt.

Hoc proinde onus civibus cunctis ſupereſt, ut non ſolum ſua virtute Patriam honeſtent, ſed etiam labore ſuo vindicent, & defendant. Parum eſſet lucem eidem ſuperaddere, ſi & tenebras, quibus aliquando obtegitur, non depellerent. Nec ſatis propriæ gentis decori proſpicerent, ſi communem famam ab aliarum gentium aut linguis, aut calamis, fœdari, impune,

pune, paterentur. Nos autem ſi primum explere non poſſumus, alterum ſaltem aggredi non omittamus. Si bene ceſſerit opus, bonorum omnium Datori acceptum referimus, qui illud par amori noſtro contulit: Si autem male, eidem quoque gratias agimus, quod nobis ſaltem ſtudium dederit, quo Nationi noſtræ prodeſſe aliquantulum velimus, etſi æquale ſtudio opus ferre nequeamus.

At ad Scriptores devenimus, quibuſcum nobis hac in Diſsertatione res eſt. Ultimus, qui contra Brutios ſcripſerit, eoſque ſenſerit, Chriſti & Lictores, & Tortores fuiſſe, R. Ad. Pater Magiſter, Frater Jacobus Hyacinthus Serry, fuit, Primarius in Academia Patavina S. Theologiæ Profeſſor, Doctor Sorbonicus, Ordinis Prædicatorum. Is in libro, cui titulum præfixit: *Exercitationes hiſtoricæ criticæ polemicæ, de Chriſto, eiuſque Virgine Matre, quibus Judæorum errores, de promiſſo ſibi liberatore, nova methodo refelluntur, Chriſtianæ Religionis myſteria omnia ad certam hiſtoriæ fidem exiguntur, explicantur, defenduntur, habitæ in Academia Patavina*; is, inquam, in exercitatione 56., cui titulus, *de tempore & loco crucifixionis, nec non de lictoribus, atque tortoribus*, totus eſt, ut Brutios velit, Chriſti lictores, ac tortores fuiſſe.

Eruditæ quidem Exercitationes iſtæ omni

ex

ex parte probantur ; utinam fuiſſent mitiori critica temperatæ. Hoc quidem in eis deſideraverunt omnes, qui æque doctrinæ, ac pietati, ſtudent; quique ad ædificationem fidelium, non ad deſtructionem, ſcribunt. Hoc pariter expoſcebant Religionis Cenſores, & Eminentiſſimi Patres, qui librum perluſtrantes, illum in Indice librorum, a Sancta Sede proſcriptorum, ponere cenſuerunt. Hoc tandem expectabat religioſiſſimus, ut & doctiſſimus, olim Cardinalis F. Vincentius-Maria Ursinus, modo vere Sanctiſſimus Pontifex, BENEDICTUS XIII., Cujus animi ſenſum, quantum ipſemet perſpicuum fecerit, ut omnes intelligant, ſua verba, duobus in locis ſuorum Operum, fideli calamo exaramus.

In volumine ſcilicet ſecundo Sermonum, quos Marianos appellat, ſer. 4. num. 16., hæc habentur: „ Fermata queſta verità, e colle divine Scritture, e co' SS. Padri, non occorre dar' orecchio ad un Moderno „ (in margine ſcribit, *Serry in Exercit. de Chriſto, exercit.* 60. *n.* 7. *&c.*) „ che maravigliaſi di coloro, i quali vogliono la prima viſita di Criſto riſorto a Maria: *Miror, tam multos, inconſulta pietate, contra Scripturarum, & Patrum, fidem, id comminiſci*: Che val quanto dire, eſſere un bel ritrovato di gente oziosa

„ e ſaccendata ; ſoggiugnendo poco appreſſo :
„ *Ita plerique pro arbitrio fabulantur , nullo ſa-*
„ *crarum Scripturarum , ac Patrum , prælucente*
„ *ſuffragio* . Queſti ſono ſentimenti , che per
„ parlar con S. Girolamo , (*S. Hieron. ex tom.* 5.
„ *in Com. in Habac.* 1. *ad Timoth.* 1.) *expoſuiſ-*
„ *ſe , ſuperaſſe eſt* . Se egli ſi maraviglia di noi,
„ io non già di lui ; ben ſapendo da S. Paolo ,
„ che vi ſono nel mondo di coloro , che *falſo*
„ *ſcientiæ nomine converſi ſunt in vaniloquium* :
„ come appunto coerentemente avvisò Ugone
„ da S. Vittore , che oggi giorno alcuni Scrit-
„ tori , (*Hug. a S. Vict. lib.* 3. *erud. didaſc. c.* 14.)
„ *cum ſuam ſcientiam nimis inſpiciant , neſcio*
„ *unde gloriantes , priores Patres ſimplicitatis ar-*
„ *guunt , & ſecum natam , ſecum morituram ,*
„ *ſapientiam credunt* .

In eodem volumine ſerm. 47. nu. 2. hæc
„ ſcribit: „ Sventura di sì riveriti Autori , e di
„ molti altri , che non impiegarono le loro ve-
„ nerate penne *ad amovendas hujuſmodi fabulas*!
„ Ma ſtudio riſervato ſolamente a facondiſſimi
„ intelletti , ed agli occhi lincei de' moderni
„ Critici , che ſcuoprono macchie nel ſole me-
„ deſimo . Uno di eſſi „ (in margine ſimiliter
„ notat , *Serry exercit.* 65. *num.* 10. „) per un
„ termine uſato da S. Dionigi , nel riferire il
„ viaggio appoſtolico , ſi sforza darci ad inten-

„ dere,

„ dere, che il Santo parlava di ſomigliante
„ viaggio al ſepolcro di Criſto, non alla Ver-
„ gine Madre, che moriva. Se pretende tanto
„ da Leggitori delle ſue franche Eſercitazioni;
„ perche non riſponde alla nerboruta obbjezio-
„ ne del Baronio. Interroga pur'egli: (*Ba-*
„ *ron. ad an.* 48. *num.* 8.) *Dicat, velim, quæ-*
„ *nam ſubſuerit ratio, ut Apoſtoli ad contuen-*
„ *dum, & laudandum, ſepulchrum Dominicum,*
„ *tunc convenerint?* Eglino, dice, per più an-
„ ni converſarono in Geroſolima, e videro in-
„ finite volte il ſepolcro di Criſto, e la caſa di
„ Giovanni, ove alloggiò la Santiſſima Madre
„ dopo l'aſcendimento del Figliuolo al cielo:
„ Dunque a che fine intraprendere sì laborioſo
„ viaggio, allorche erano ſparſi per l'Univerſo,
„ predicando il Vangelo?

Æqui ergo bonique conſulant Eruditi omnes, & præcipue qui ex ſacro Prædicatorum Ordine recenſentur, ſi nos contra Scriptorem, doctum in primis, at non ſolum nobis, verum quoque ipſiſmet, infeſtum, calamum admovemus. Ille diem veritatis amor, ac pietatis zelus, qui erudiriſſimum ac pientiſſimum tunc Cardinalem, non tam dignitate, quam ſapientia, eminentiſſimum, & modo non ſolum nomine, ſed vita quoque, Sanctiſſimum Pontificem, ad illa ſcribenda compulit contra Scriptorem ejuſdem Ordinis,

 quem

quem ipſe ut amantiſſime diligebat, ita & exa-
ctiſſime profitebatur; nos quoque movit, ut contra eundem, pro Patria vindicanda, pro veritate aſſerenda, ſcriberemus. Cæterum diſertiſſimum, eundemque religioſiſſimum, Scriptorem ſincero amore complectimur, ejus opera juſtis laudibus honeſtamus, intentionem, finem, propoſitum, quæ in ſcribendo habuit, a culpa etiam removemus; ſed quæ ſcripta ſunt, quum omnibus pateant, nec ipſe poteſt amplius occultare, nec alii poſſunt non advertere. Igitur, aut ipſe reformet, aut æquo animo accipiat, ſi ab aliis, aut correcta, aut confutata, comperiat.

AP-

APPROBATIO.

EX Mandato Rm̃i Patris Gregorii Selleri Magiſtri Sacri Palatii Librum perlegi ab Illuſtriſſimo,& Rm̃o Dño D.Joſeph-Maria Perrimezzi, Ordinis Minimorum Oppidi Epiſcopo, Viro de Republica literaria optime merito lucubratum, cui titulus eſt: *De Natione Tortorum Chriſti adverſus nuperum Scriptorem Gallum Diſſertatio*. Sane perſpexi opus totum eſſe eruditione multiplici contextum, ſolidaque ſuffultum doctrina ad deſtinatum opus collimante, ac ſtrenue demum concludente; ſic prorſus ut quicumque ad libri lectionem privata affectione ſolutus acceſſerit, ſecus exiſtimari à nemine prudenter poſſe. Itaque cum nihil Sacræ Doctrinæ, boniſve moribus adverſum redoleat, prælo committendum, dignum exiſtimo. Ita ſentio ſalvo ſemper &c. Ex Noſtra Domo Profeſſa Sanctæ Mariæ Magdalenæ Urbis die 4. Octobris 1727.

Hieronymus Zerilli Procurator Generalis Cleric. Regul. Miniſtrantium Infirmis, ac S. Congregationis Indicis Conſultor &c.

A P-

APPROBATIO.

IN hac Diſſertatione inſcripta *De Natione Tortorum Chriſti* ab Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino D. Joſeph-Maria Perrimezzi Epiſcopo Oppiden. compoſita: ſingula attente, ac jucunde perlecta ex mandato Reverendiſſimi Patris Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri viſa ſunt mihi, nedum prudentiæ, ac pietatis officiis; ſed ut ſolida, ac uberrima eruditione referta: Quæ & virum deceant gravis in ſcribendo judicii; & in refellendis Criticorum argumentis, urbanitatis, ac majeſtatis cultorem ſatis exhibeant: Eadem ergo eruditorum utilitati, & oblectationi legentium typis exponi opportune cenſeo. Ex noſtra Domo S. Laurentii in Lucina hac die 6. Octobris 1727.

Cajetanus Corazza Cler. Reg. Minorum Vicarius Generalis, in Collegio de Propaganda Fide Theologiæ Scholaſticæ Lector, Cleri Urbis Examinator, & Supremæ Inquiſitionis Qualificator.

IM-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſtro Sac. Pal. Apoſt.

N. Baccari Epiſc. Bojan.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ord. Prædicatorum Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.

DIS-

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

SS.

PARS PRIMA

DISSERTATIONIS. Fol.1.

§. I.

N*Uperi Scriptoris Galli verba recitantur; & Operis analyſis exhibetur.* f.1.

§. II.

Quodnam apud Antiquos Lictorum munus, & a quibus exercendum? f.5.

§. III.

De Apparitoribus, eorumque munere. f.11.

§. IV.

De Scribis, Accenſis, Interpretibus, Præconibus, Viatoribus, Servis publicis, Statoribus, eorumque muneribus. f.15.

§. V.

De Lorariis, Carnificibus, atque Tortoribus, & de muneribus, quæ obirent. f.23.

d §. VI.

Digitized by Google

§. VI.

A. Gellii verba expenduntur , & ad rem probandam, quam Adverſarii intendunt , nullius roboris eſſe demonſtrantur . f.26.

§. VII.

M. Catonis teſtimonium , quo A. Gellius utitur, examinatur, & quantæ ſit auctoritatis ad rem probandam, quam intendit , oſtenditur . f.42.

§. VIII.

Appiani Alexandrini verba , juſto examine ponderata, nullam veri ſpeciem præſeferre, evincuntur . f.50.

§. IX.

F. Pompeji , Strabonis , & Diodori Siculi , dicta , in hac re , ſi quæ ſunt , quanti ſint roboris , pro rei veritate inveſtigatur . f.57.

§. X.

Ambroſio Calepino , aliiſque, ſive veteribus, ſive recentioribus , de re noſtra ſcribentibus, quæ fides, & quæ auctoritas, tribuenda, oſtenditur . f.64.

§. XI.

Poſt Punicum Bellum Brutiorum Urbes a Romana Republica Coloniarum, Municipiorum , & fœderatarum Civitatum , honore exornatæ . f.69.

§. XII.

Digitized by Google

§. XII.

Poſt Hannibalis defectionem Viri Brutii in Romana Republica Militiæ, & Magiſtratus, laude decori. f.75.

PARS SECUNDA

DISSERTATIONIS. Fol.79.

§. I.

Brutii Chriſti Tortores non fuerunt: f.79.

§. II.

Cujus nationis Chriſti Tortores fuerint, ex aliorum Scriptorum monumentis evincitur. f.88.

§. III.

Judæi in Chriſti apud Gethſemani deprehenſione apud Prætorium flagellatione, & in Calvario crucifixione, Lictores, Lorarii, ac Tortores, ex parte fuerunt. f.93.

§. IV.

Romani Milites Chriſti comprehenſioni, flagellationi, coronationi, & crucifixioni, interfuerunt. f.99.

§. V.

Cardinalis Baronii pro Brutiis teſtimonium a nuperi Scriptoris Galli ſugillatione vindicatur. f.106.

§.VI.

§. VI.

Gregorii a Jeſu & Maria, ex Diſcalceatis S. Auguſtini, ratiocinia expenduntur. f.115.

§. VII.

Donati Calvi argumenta ad trutinam revocantur. f.121.

§. VIII.

Alphonſi Salmeronis verba recitantur, & refutantur. f.126.

DIS.

Digitized by Google

DISSERTATIONIS
PARS PRIMA.

In duas partes Dissertationem dividimus , in quarum prima illa tractamus, quæ ad principalem controverſiam, quaſi fundamenta, præmittuntur: Brutios nimirum, quia a Romanis ad Hannibalem non defecerunt, nec pœna fuiſſe mulctatos, ut Tortorum munus exercerent; cujus oppoſitum eſt præcipuum Adverſariorum, aut argumentum, aut commentum. In altera vero de natione Tortorum Chriſti agetur, quos Brutios non fuiſſe eo fortius demonſtrabitur , quo in præcedenti probatum fuerit, illos nec culpa, quæ falſo iiſdem imponitur, fuiſſe notatos, nec pœna, qua injuſte inuruntur, fuiſſe perculſos. Ad rem deveniamus; & nuperum Scriptorem Gallum, contra quem præcipue agimus, ejuſque verba, ad exactam trutinam revocemus.

§. I.

Nuperi Scriptoris Galli verba recitantur ; & Operis analyſis exhibetur.

NE hoſtem videamur nobis fingere , neve arma , quibus militat , pro noſtro libito efformare, conſultum ducimus , ad literam exponere verba nuperi Scriptoris , contra quem dimicamus ; ut in iis rationum momenta commodius poſſint Legentes perpendere , & reſponſiones noſtras firmiori animo examinare . Accidit nanque ut plurimum , quod Auctorum teſtimonia referantur , quæ

Digitized by Google

contra Auctorum ſint & mentem , & ſenſum : Et hoc ideo eſt , quia non referuntur verba , quæ tergiverſari minime poſſunt; ſed ſententiæ,quæ alienis verbis ſæpenumero adulterantur. Hoc præſertim in Scriptore iſto, ni fallimur , deprehendemus; cum Auctorum teſtimonia , quæ , vel pro ſe , vel contra ſe , affert , æquiori judicii lance ponderabimus .

Is ergo in Exercitatione LVI. nu. 6. hæc ſcribit:
,, Tertiam Quæſtionem, aliquantulum odioſam, ægre
,, admodum attingo , de Lictoribus , Tortoribus , &
,, Carnificibus , qui , ex Pilati ſententia, Chriſto Do-
,, mino ſupplicia inflixere . Vereor enim , ne ad alicu-
,, jus regionis injuriam pronunciare , cenſeri poſſim.
,, Quia tamen nil poſſum contra veritatem , dicam li-
,, bere , Chriſti lictores , atque carnifices , fuiſſe Brut-
,, tios , ſeu Bruttianos Italiæ populos , tractum illum
,, Italiæ quondam incolentes , qui hodie Calabria di-
,, citur . Conſtat ſiquidem ex Aulo Gellio , Noctium
,, Atticarum lib.10. cap.3. , ex Feſto Pompejo, in ver-
,, bo *Bruttiani* , ex Strabone lib. 6. , ex Diodoro Sicu-
,, lo , Bruttios , in pœnam , quod primi totius Italiæ
,, a Romanis ad Hannibalem defeciſſent , ea infamia
,, notatos fuiſſe , ut Magiſtratibus , ad regendas Pro-
,, vincias euntibus, parerent; & ad infligenda ſupplicia
,, delinquentibus ſuam operam exhiberent. Hinc illud
,, Catonis lib. de falſis pugnis : *Juſſit illius veſtimenta*
,, *detrahi , & flagro cædi , quem ſubinde Bruttiani ver-*
,, *beraverunt* . Nempe ii lictorum officio defungeban-
,, tur. Nihil itaque dubitandum, Pilatum , Judææ Pro-
,, curatorem ac Præſidem , ex more , & uſu Romano-
,, rum Bruttiis , ceu adminiſtris , ad infligenda Chri-
,, ſto ſupplicia , uſum fuiſſe . ,,

,, Non me fugit, Cardinalem Baronium, ut Brut-

tio-

Digitized by Google

„ tiorum gratiam demereretur, auſum non fuiſſe aſ-
„ ſerere, Chriſtum ab iis flagellis cæſum, & cruci ſuf-
„ fixum eſſe. At dum Bruttiorum famæ conſulit Scri-
„ ptor Eminentiſſimus, haud ſatis conſulit ſuæ. Eas
„ enim, ut Bruttios infamiâ liberet, rationes affert,
„ quæ minus profecto congruunt, ac etiam contrarium
„ evincunt. Nimirum, ait ille: Alexandrinos in Ægy-
„ pto, honoris gratia, non a Bruttiis lictoribus, ſed a
„ ſuis popularibus, virgis cædi fuiſſe ſolitos, ubi id ju-
„ diciorum ratio poſtularet. Addit, ætate Tertulliani,
„ non ſolos Bruttios ferali huic miniſterio fuiſſe deſti-
„ natos, ſed cæteros cujuſque nationis milites; ut ex
„ illius libro *de Corona Militis* liquet. Sit ita porro, ut
„ Baronius obſervat; quid hoc, quæſo, ad Chriſti fla-
„ gella, atque ſupplicia, ne & ipſe a Bruttiis cæſus di-
„ catur, & crucifixus? Cum Chriſtus Alexandrinus
„ non fuerit, ut eo privilegio frueretur, ſed Galilæus;
„ nec in Ægypto cæſus, & crucifixus ſit, ſed in Judæa.
„ Imo, inquio ego, ſi Alexandrinorum hoc erat privi-
„ legium, ut non a Bruttiis, ſed a ſuis popularibus,
„ cæderentur; argumento eſt, cæteros, atque ita Ju-
„ dæos, a Bruttiis lictoribus, pro more & uſu Roma-
„ norum, fuiſſe flagellis cæſos, extremoque ſupplicio
„ affectos, ubi eſſet lata ſententia. Fatendum itaque
„ bona fide, quod res eſt, ſemotiſque regionum affe-
„ ctibus, id ſimpliciter aſſerendum, quod Scriptorum,
„ omni exceptione majorum, teſtificatione comper-
„ tum eſt; Bruttios Chriſti tortores, atque carnifices
„ extitiſſe. „

Ex verbis hiſce laboris noſtri ſpecimen emergit, quod ſane Operis analyſim exhibebit. Primo loco oportet Auctorum, quos pro ſe Scriptor iſte laudat, teſtimonia perluſtrare; ſignanter Auli Gellii, qui illo-

rum omnium, quos hac in re Bruttii adverſarios experiuntur, facile probatur anteſignanus. Poſtmodum Catonis libri, quem Aulus Gellius dictitat ſe fuiſſe ſequutum, opus eſt ut auctoritatem examinemus, atque genuinitatem. Deinde Auctores alios ſingillatim perluſtrabimus, qui de Brutiorum a Romanis defectione ſcripſerunt, mentionemque fecerunt de pœna, qua iidem a Romana Republica affecti ſunt. Ii ſunt potiſſimum Feſtus Pompejus, Strabo, Diodorus Siculus, quos Scriptor Gallus recenſet; aliique de re eadem ſcribentes, quos nobis contrarios comperimus. Hocque in prima Diſſertationis parte præſtabimus.

In altera vero parte, cujus gentis & nationis fuerint Chriſti Tortores, inquiremus; ac proinde Auctorum, quos Scriptor iſte contra ſe ipſum memorat, opus eſt ut verba perpendamus. Præcipue Cardinalis Baronii, quem ulterius ſugillat Scriptor non ſinceræ mentis, quum velit, contra veritatis imperium, & ſui decoris famam, in noſtras partes deſcendiſſe. Deveniemus poſtea ad Auctores alios, qui, vel re non bene perſpecta, aliis contra nos ſcribentibus in hac re ſubſcribere voluerunt; vel nationis noſtræ bono dolentes, nobis impingere tentarunt, quæ probri eſſe poterant, & dedecoris. Ex iis, quæ in examine prædictorum Auctorum dicentur, compertum fiet, cujus fidei apud Legentes nuperus Scriptor Gallus eſſe debeat: quum talem ſe comprobet, ut vel taceat, quæ dicenda ſunt; vel dicat, quæ fuerunt dicta non ſemel, ſæpe exploſa, rejecta ſemper.

Verum, ut hæc omnia facilius, exactius, & clarius perficiantur, congruum ducimus hoc quaſi in limine, genuinam & propriam inveſtigare illorum munerum intelligentiam, quæ in ſupplicium Brutiis exercenda,

cenda, Adverſarii noſtri comminiſcuntur. Ita enim fiet, ut bene intellectis rerum vocibus, res ipſæ abſque ambiguitate intelligantur; & ſi nos ſemel de nominibus conveniemus, faciliimum erit, ut etiam de rebus non contendamus. Qui præfata munera exercebant, his potiſſimum vocabulis appellabantur: Lictores, Apparitores, Scribæ, Accenſi, Interpretes, Præcones, Viatores, Servi publici, Statores, Lorarii, Tortores, Carnifices. De horum quolibet officio, patria, conditione, ac varia temporum viciſſitudine, ſingillatim nobis ſermo erit; & primo loco de Lictoribus.

§. II.

Quodnam apud Antiquos Lictorum munus, & a quibus exercendum?

INgenuitate, qua Scriptores omnes ſua opera æternitati conſecrant, quæcunque de rebus hiſce nos poſteritati mandamus, fatemur, ultro, ab eruditiſſimo antiquarum rerum Scriptore, Samuele Pitiſco, in ſuo Antiquitatum Romanarum Lexico, ut plurimum mutuaſſe. Hoc non diſſimulandum ducimus, ne videamur ab aliis exſcribere, & illos non laudare, quod ſane latrocinantium Scriptorum vitium non abſque nauſea deteſtamur; atque inſuper, ut Legentes ſciant, nec pro arbitrio, nec ſine Auctore, nos ſcribere, quæ omni jure ſine teſtimonio ſcribenda non ſunt.

Lictorum originem a Romulo repetit Livius, exemplum ab Hetruſcis. Hæc enim ſcribit dec. 1. lib. 1. *Rebus divinis rite perpatratis, vocataque ad concilium multitudine, quæ coaleſcere in populi unius corpus nulla re,*

re, præterquam legibus, poterat, jura dedit. Quæ ita ſancta generi hominum agreſti fore ratus, ſi ſe ipſe venerabilem inſignibus imperii feciſſet, cum cætero habitu ſe auguſtiorem, tum maxime Lictoribus duodecim ſumptis fecit. Alii ab numero avium, quæ augurio regnum portenderant eum ſecutum numerum putant. Me haud pœnitet eorum ſententiæ eſſe, quibus, & Apparitores, & hoc genus ab Hetruſcis finitimis, unde ſella curulis, unde toga prætexta, ſumpta eſt, numerum quoque ipſum ductum placet: Et ita habuiſſe Hetruſcos, quod ex duodecim populis communiter creato rege, ſingulos ſinguli populi Lictores dederint. Nihil tamen hîc differit de munere, nec verbum ullum habet de hominum genere, qui ad id muneris eligi debebant.

Ex eodem Livio diſcimus tamen altero in loco, nimirum dec.11. lib.55., liberos fuiſſe Lictores, non ſervos; etſi ex ima Quiritium plebe plerunque eligerentur. *Quatuor & viginti Lictores apparere Conſulibus, & eos ipſos plebis homines.* Cornelii Taciti temporibus e Libertis eligebantur: Annal. 13. 27. 2. *quippe late fuſum id corpus. Hinc pleraſque tribus, decurias, miniſteria, Magiſtratibus, & Sacerdotibus*. Quo in loco *miniſteria Magiſtratibus*, Lictores, Viatores, Accenſos, Scribas, Statores, Præcones, &c. Pitiſcus interpretatur. Demum liberos fuiſſe, immo & cives, ex Cicerone habemus; quia iiſdem jus togæ fuit: *Togulæ ad portam Lictoribus præſto fuerunt; quibus illi acceptis, ſagula rejecerunt*. Ita in Piſonem c. 23. Sed hæc de genere, non autem de munere, dicta ſint.

Munus vero non unum, ſed triplex, Lictoribus a pleriſque adſignatur; Submotio nimirum, Animadverſio, & Præitio. Adeo ſubmovere Lictoribus proprium videbatur verbum, ut Submotor Aditus pro ipſo

ipſo Lictore a Livio, dec.45. lib.29., poneretur. Ex eodem dec.8. lib.33. conſtat, ſubmotionem voce, manu, virga, fieri, ut locum ſequenti Magiſtratui facerent. *Repente ſtrepitus ante Curiam Lictorum ſubmoventium auditur*. Et ex Pacato, in panegyrico ad Theodoſium dicto; *tum longe populus arcebatur; nec otioſa Viatoris manus plebem verbere ſubmovebat*. Sic voce, & manu, ſubmotio fiebat; plerunque autem virga; itaut Lictores, ad hunc pulſandi uſum, virgam geſtaſſe, nonnullis videatur.

Animadverſio quicquid honoris venienti Magiſtratui exhiberi ſolemne erat, complectebatur; nimirum equo, ſella, aut curru, deſcendere, caput aperire, ſemita cedere. A Seneca epiſt. 64. ſic enarrantur: *Si Conſulem videro, aut Prætorem, omnia quibus honor haberi ſolet, faciam; equo deſiliam, caput adaperiam, ſemita cedam*. Conſul ergo jubebat, animadvertere Lictorem, ſi quid per incuriam, oſcitantiamve, prætermitteret, quod contra dignitatem eſſet. Ex iis, quæ Livius, dec.24. lib.44., de Fabiis, Patre, & Filio, narrat, diſcimus: *Pater Filio Legatus ad Sueſſulam in caſtra venit: Quum obviam Filius progrederetur, Lictoreſque, verecundia majeſtatis ejus, taciti anteirent: præter undecim faſces equo prævectus ſenex, ut Conſul animadvertere proximum Lictorem juſſit, & is, ut deſcenderet ex equo, inclamavit. Tum demum deſiliens: Experiri, inquit, volui, Fili, ſatin' ſcires, Conſulem te eſſe*. His honoris ſignis adjungunt pariter aſſurgere, gladium ponere &c. Ex Suetonio in Jul. c. 78. num.4. & ex Plutarch. Pomp. p.637. habemus.

Præitio demum habebatur, quando ante Magiſtratum Lictores ibant, non gregatim, aut confuse, non item bini, ternive, ſed ſinguli in lineam. Hinc Li-

ctor

ctor primus, Lictor proximus, ut paſſim apud Scriptores legitur; at non pro eodem primus, & proximus. Proximus enim inter duodecim poſtremus erat, qui agmen claudebat, & proxime a Magiſtratu aberat. Unde Valerius Maximus lib. 11. c. 2. num. 4. *maxima diligentia Majores hunc morem retinuerunt, ne quis ſe inter Conſulem, & proximum Lictorem, quamvis officii cauſſa una progrederetur, interponeret*. Is apud Eruditos ſummus Lictor erat, qui & inter Lictores caput. Mandata a Magiſtratu, & literas, accipiebat, & ea præſtabat, quæ operæ familiarioris dicebantur.

Lictorum inſignia fuerunt faſces, virgæ, ſecures, &c. Faſces erant bacilli aliquot teretes loro colligati in modum faſcis; quorum imagines in nummis, & lapidibus, intuemur. Faſcium inventionem Vetuloniæ, Hetruriæ urbi, Silius Italicus 8. 484. adſcribit.

Mæoniæque decus quondam Vetuloniæ gentis,
Biſſenos hæc prima dedit præcedere faſces,
Et junxit totidem tacito terrore ſecures.

Hinc Tarquinio Priſco, Romanorum Regi, Hetruſcorum Legati duodecim faſces attulerunt; mos enim erat, Hetruriæ Regi ſecurim, & virgarum faſcem, Lictorem præferre. In faſcibus virgæ continebantur, quæ, vel ex ulmo, vel ex vetula, fiebant. Plautus 3. 2. 28.

Ubi ſæpe ad languorem tua duritia dederis octo
Validos Lictores, ulmeis affectos lentis virgis.

Et Plinius 16. 18. *Betula arbor eſt gallica, mirabili candore, atque tenuitate, terribilis Magiſtratuum virgis.*

Dictatori vigintiquatuor Lictores præibant; quia, quum in eo duplex imperium agnoſceretur, eidem inſignia Conſulis utriuſque concedebantur. Appianus bell. civ. 1. p. 412. *Secures ei* (Syllæ) *ut Dictatori,* *præ-*

præferebantur vigintiquatuor. Magiſtro Equitum ſex tantum permiſſi erant. Dio 42. p.197. de M. Antonio, qui Equitum Magiſter erat, ſcribit: *At Antonius, ſi veſtitum ejus ſpectares, imaginem popularis ſtatus præferebat; prætexta enim utebatur: item ſi Lictores; non enim plures quam ſex habebat*. Conſuli duodecim, Prætori ſex, dabantur; Quæſtori nulli, Virginibus Veſtalibus, in publico ſemper unus. Dio 47. p.338. *Virginibus Veſtalibus conceſſerunt, ut ſingulæ ſingulis Lictoribus uterentur: Eo quod quædam ex iis a cœna, ſub veſperam, domum revertens, cum quæ eſſet ignoraretur, vim paſſa fuerat*.

Ad Lictorum munus ſpectare; non ſolum alligare, aſſerunt quamplures, verum q uoque virgis, immo etiam ſecuri, percutere. Hinc iiſdem videtur, Lictores parum a Carnificibus diſtinguendos eſſe. A ligando dictos Lictores volunt, apud Gellium 12. noct. actic. c. 3., Paulinus Arnolphinus, v. *faſces*, & v. *Lictores*. Ad nutum enim Magiſtratûs Reo manus, pedeſque, vinciebant; ob quod funes, compedeſque, in ſinu occultabant. Faſcibus deinde explicatis, virgis verberabant, & aliquando etiam ſecuri percutiebant.

At ſi Lictores inter Carnifices adnumerantur, non poterant homines quirites eſſe, etſi ex plebe fuiſſent; nec ubique in foro, & concione, Magiſtratibus apparere; quum, ex Cicerone, Carnifices ex foro, urbe, concione, ſublati haberentur. Patiſcus in re dubia ſuſpicatur, Lictores tantum in cives Romanos lege egiſſe, perduelleſque virgis, & ſecuri, more Majorum, percuſſiſſe; Carnifices vero cruci affixiſſe, ſtrangulaſſe, gulam fregiſſe, & alia ſupplicia ſervis, peregrinis, & iis, qui cives non erant, irrogaſſe.

Patiſco tamen opponuntur, quæ ex Livio habemus;

mus; Junium ſcilicet Brutum, Conſulem, a Lictoribus filios virgis cæſos voluiſſe, ſecurique percuſſos. Liv. I. 2. 20. *Conſules in ſedem proceſſere ſuam; miſſique Lictores ad ſumendum ſupplicium, nudatos virgis cædunt, ſecurique feriunt.* Filii autem Conſulis Junii Bruti peregrini non erant, ſed cives; non ſervi, ſed liberi: & nihilominus non virgis tantum, ſed ſecuri etiam fuit in eoſdem animadverſum. Inſuper Manlium Conſulem filio victori mortem ad palum a Lictore inferri juſſit; quam ſubiit animo æque forti, ac victoriam de hoſte reportaverat. Liv. I. 8. 7. *I Lictor, deliga ad palum. Exanimati omnes tam atroci imperio; nec aliter, quam in ſe quiſque diſtrictam cernentes ſecurim, metu magis, quam modeſtia, quievere. Itaque velut emerſo ab admiratione animo, cum ſilentio defixi ſtetiſſent: repente, poſtquam cervice cæſa fuſus eſt cruor, tum libero conqueſtu coortæ voces ſunt, ut neque lamentis, neque execrationibus parceretur.*

At pro Pariſco, ejuſque judicio tuendo, ad mortis genus recurrendum eſt. Scilicet a Lictoribus Romanos cives fuiſſe virgis, & ſecuri, Majorum more, percuſſos; ut fuerunt Junii Bruti filii, Manlius, & Fabius, M. Fabii filius, L. Papyrio Dictatore jubente, apud Livium dec. I. lib. 8. A Carnificibus vero ſervos, peregrinos, illoſque, qui cives non erant, cruci fuiſſe affixos, gula fractos, ſtrangulatos, &c.

Hæc contigiſſe putamus priſcis illis temporibus, quibus, ut diximus, Lictores ex Romano populo, vel ex plebe, aut ingenui, aut liberti deſumebantur. Subſequenti poſtmodum ævo ex captivis in bello etiam deſumpti ſunt, & ex gentibus in acie victis; unde cognominari cœperunt, vel ex provinciis ſubactis, vel ex victoribus ducibus. Lictores proinde dictos legimus Rho-

Digitized by Google

Rhodianos, Cornelianos, Gallianos,alioſque ſimiles.Et quidem non ex ſolis Brutiis deſumptos fuiſſe Scriptores narrant, contra Gellium, Brutiis infeſtum, ſed etiam ex Lucanis, Picentinis, Cypriis. De Picentinis aſſerit Strabo, lib.6. in fin. *Picentes . . . nunc vero per vicos vitam agunt, a Romanis expulſi, propter initam cum Hannibale ſocietatem. Quo quidem tempore pro militari officio, ut viatoris publici, aut tabellarii, operam explerent, adſignati ſunt.* Idem de Lucanis adfirmat, quemadmodum quoque de Brutiis; *quemadmodum & Lucani, & Brutii, eaſdem ob cauſas.* Accinit Sigonius, de antiquit. jur. ital. c.21. f.46. v. *italo*; Lypſius de faſt. c.22., aliique paſſim inter noviſſime ſcribentes.

§. III.

De Apparitoribus, eorumque munere:

APparitores, κλητῆρες, dicti, quod appareant, & præſto ſint ad obſequium; qui & Statores dicuntur, ut ſunt, qui Magiſtratus circumſtant, parati ad obſequendum. Ex Cicerone in Verrem, & alibi, Ambroſius Calepinus. Ex Pitiſco erant Magiſtratuum Nuncii, ſive Miniſtri, apparituram Magiſtratibus facientes: οἱ παριστάμενοι τοῖς ἐπ' ἀξιώσεως; hoc eſt, qui præſto ſunt Magiſtratibus ad imperia accipienda, & exequenda. Servius: *Apparent, præſto ſunt ad obſequium.*

Ex eodem Pitiſco, hoc uno nomine vocabantur Scribæ, Accenſi, Interpretes, Præcones, Viatores, Lictores, Servi publici, Carnifices. Bud. in Pandect. p. 244., H. Salmuth in Pancirol. de reb. deperd. & inv.

 p.711.,

p. 711., Sigon. de ant. jur. civ. Rom. 11. 15., Panvin. de Civit. Roman. c. 66., aliique apud præfatum Pitiſcum. Hinc inter Lictores, & Apparitores differentia, quod Lictores Magiſtratibus præibant, Apparitores vero circumſtabant. Lictoribus erant inſignia, quæ manibus deportarent, faſces nimirum cum virgis, & ſecuri; Apparitoribus inſignia nulla, & in veſtibus, ut infra, agnoſcebantur. Demum Apparitores, non Lictores, volunt, quos Vergilius memorat, Æneid. 12. 850.

Hæ Jovis ad ſolium, ſævique in limine Regis
Apparent, acuuntque metum mortalibus ægris.

Si Apparitorum originem ſpectemus, & gentem, ex libertis, & libertinis, Magiſtratuum, quibus apparebant, fuiſſe, ſcribunt Pollet. for. Rom. v. 12., Sigon. l. l. Et quum ex iis quidam, Apparitores nimirum cohortales, Apparitores prætoriani, Officiales inter milites dicerentur, planum eſt, ex libera gente, & non ex ſervis, duxiſſe, aut originem, aut nativitatem.

Apparitores cohortales ab officio liberari non poterant, niſi Primipili munere completo. Et ideo, apud Pitiſcum, a Paulo Juriſconſulto perpetui appellantur, l. Præſidis 34. ſi cert. potat. *Præſidis Provinciæ Officiales, quia perpetui ſunt, mutuam pecuniam dare, & fœnebrem exercere poſſunt*. Ad quæ ſubjiciunt: *His non licere ad aliam militiam, ſeu officium, tranſire, ſine annotatione, ſeu indulgentia clementiæ principalis*. Et Valentinus, l. 7. penult. & ult. C. de Cohortal., inquit: *Ordinariorum Judicum Apparitores, qui vel Speculatorum, vel* Ordinariorum, *attigerint gradum, nullo annorum numero, nulla ſtipendiorum contemplatione, laxentur, priuſquam Primipili paſtum digeſta ratione compleverint*. Cohortales quoque erant ipſorum liberi; l. 12. de Cohort., l. 1. & ſeq. C. de filiis Offic. Et deſcribi in matri-

triculis, ſeu Officialium albo, debebant; l.10. C. de Cohort., l.16. de teſtam. milit., Pancirol. notit. dignit.imp. orient. c.9. & 159. Indicium quoque dignitatis erat, quod inter Officiales adnumerarentur.

Apparitores vero prætoriani digniores erant, quia ad gradum vel Cornicularii, vel Commentarienſis, prout erat opus, promovebantur. Caſſiodorus 11. variar. 17. Ex Pitiſco horum munus erat; juſſa Præfecti implere, litigantes in judicium introducere, acta ſcribere, recitare, & partibus edere, ſententias ſcribere, atque exequi, & alia judiciorum neceſſaria peragere. Conſtant hæc omnia ex l.1. & 2. C.de prin.agen. in reb., l. per Illyricum 9. C. de Cohortal., l.ult. C. ut intr. cert. temp. Ac tandem infirmis mulieribus, & egregiis viris, domi juramentum deferebant. Habetur ex Juſtinian. Novell. 124. §.1., & §. ſin autem authent. Ut litigant. jurent. *Si aliqui litigantium nequeunt ad Judices venire, jubemus dirigi ex officiis miniſtrantibus aliquos, ut eis præſentibus ſacramenta præbeantur.*

Ut ab aliis diſtinguerentur Apparitores clariſſimorum Magiſtratuum, cooperiebantur veſtibus diſtinctis; nimirum diſcoloribus penulis, ſeu palliis. Et pro cingulo laneam faſciam, a dextro humero in ſiniſtrum latus deſcendentem, adhibebant. Ex Gratiano habemus l.1. C. Theod. de habit. quo intr. urb. uti oport.: *Officiales, per quos ſtatuta complentur, ac neceſſaria peraguntur, uti quidem penulis jubemus, verum interiorem veſtem ad modum cinguli obſerare, ita tamen ut diſcoloribus quoque pectora contegentes, conditionis ſuæ neceſſitatem ex hujuſmodi agnitione teſtentur.*

J. Vincentius Gravina, conterraneus noſter, in Græcis & Latinis literis ad admirationem excultus, & de politiori juris ſci entia optime meritus, in ſuo de ortu

tu, & progreſſu juris civilis laudatiſſimo opere,in lib.1., qui eſt originum, num.6., hæc de Apparitoribus ſcribit: *Suum quoque locum tenebant Apparitores Magiſtratuum, & Accenſi, ſic appellati, quod accirent, ſive exciperent mandata Conſulis, & vocarent ad comitia centuriata, itemque ad tribunal Prætoris, eos, quibus erat jus reddendum; vel moleſtis interpellationibus ſilentium imponerent: Varro de ling. lat. Sigon. lib.2. c.15. de antiq.civ. Rom.* Sub nomine proinde Apparitorum etiam Accenſos collocat, ut Pitiſcus; ſed cæteros removet, nempe Scribas, Interpretes, Præcones, Viatores, Lictores, Servos publicos, & Carnifices, contra Pitiſcum. Inter Lictores autem nullum ſtatuit diſcrimen, quum æque de omnibus dicat: *Lictores etiam erant, qui ſummovendo populo, ſontibus cædendis, ac ſecuri feriendis, faciendiſque juſſibus præſto erant Conſulibus, Prætoribus, Interregibus, & Dictatoribus; ac Lictores a ligando dicti, quod ſontibus ad ſuppliciam manus ligarent.* Verum tempus eſt, ut ad varias Apparitorum ſpecies deſcendamus.

§. IV.

De Scribis, Accenſis, Interpretibus, Præconibus, Viatoribus, Servis publicis, Statoribus, eorumque muneribus.

Scribæ apud Hebræos Doctores erant in Moſaica lege periti; qui & hodie communiter, ut ait Macri in Hierolexico, hoc verbo, Rabbini vocantur. Idem aſſerit, de Tribu Simeon Scribas fuiſſe; ac proinde Tribus Levi, & Simeon, inter Iſraeliticum populum, di-

diſperſas habitaſſe: primam ſcilicet ratione officii, & gradus levitici, & ſacerdotalis; ſecundam vero, ut populum in lege, & in traditionibus, inſtrueret. Scribæ a Phariſæis diſtinguebantur, quamvis potuerint aliqui eſſe ſimul Phariſæi, & Scribæ. Quemadmodum apud nos Doctores a Religioſis ſecernuntur; & nihilominus plures ſunt, qui ſimul Religioſi ſunt, & Doctores.

At apud Romanos Scribæ inferioris notæ fuerunt homines, & non magiſterii dignitate præditi, ſed potius officii, laboris, &, ut ita dicamus, ſervitutis onere diſtincti. Si eorum miniſterium intra privatas familias ſpectemus, Scribæ ita a Notariis diverſi erant, quemadmodum literæ a notis differebant. Quodcunque legendum occurrebat, notis, quæ elementa non erant, nec literæ, a Notariis excipiebatur; & poſtmodum literis a Scribis deſcribebatur. Sic Paull. c. 40. de teſtam. milit. *L. Titius miles Notario ſuo teſtamentum ſcribendum notis dictavit, & antequam literis perſcriberetur, vita defunctus eſt.* Ex quibus Patiſcus infert, Notarios illos fuiſſe, qui characteribus, quibuſdam notis, & quotidie augeri conſuetis, quæcunque dictare volebant, vel ſcribere, Patroni, aut Domini, excipiebant: Scribas vero fuiſſe illos, qui ſcripta de notis in literas, ut omnibus legenda paterent, redigebant.

Scribæ autem publici erant, qui Reipublicæ, aut Magiſtratibus, deſerviebant. Publicas rationes in tabellas referre; leges, & acta, in commentarios redigere, illorum munus, & officium, erat. Ex Feſto refert Patiſcus: *Scribæ nunc dicuntur librarii, qui rationes publicas ſcribunt in tabulis*. Subdit idem Patiſcus, horum omnium munus dictum fuiſſe *Scribatus*; officium vero, *ſcriptum facere*, quod eſt Scribæ munus exercere. Vilis olim erat Ordo Scribarum, ex Nep.

Eu-

Eumen. 1. 5. *habuit eum ad manum Scribæ loco; quod multo apud Grajos honorificentius eſt, quam apud Romanos: Nam apud nos re vera, ſicut ſunt, mercenarii Scribæ exiſtimantur: at apud illos contrario nemo ad id officium admittitur, niſi honeſto loco, & fide, & induſtria, cognita, quod neceſſe eſt omnium conſiliorum eum eſſe participem.*

Gravina vult ſemper Scribas in honore, apud Romanos quoque, fuiſſe; quia negocium, quod gerebant, quum haud parvi momenti eſſet, opus erat, ut viris honeſtis concederetur. Memorato loco hæc ſcribit: *Huic accedebat Ordo Scribarum, qui leges, actus, rationeſque omnes publicas perſcribebant, ac referebant in tabulas. Quod negotium haud parvi ſane momenti dabatur viris honeſtis, quippe futuris cuſtodibus fidei publicæ, publicæque voluntatis conſervatoribus. Quam ob cauſam & apud Græcos hominibus honeſtiore loco natis hujuſcemodi munus deferebatur. Quamvis Cornelius Nepos in Eumene Scribarum munus in majori apud Græcos honore, quam apud Romanos fuiſſe, ſcribat.* At diſtinguamus tempora, & conciliabimus Auctores; etenim ex Cicerone in Verrem 3. 79. diſcimus, tractu temporis hunc ordinem incepiſſe honeſtius haberi: *Ordo eſt honeſtus, quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque Magiſtratuum, committuntur.*

Refert etiam ipſemet Tullius, Scribarum numerum adeo excreviſſe, ut fuerit in decurias deſcriptus, ordinis videlicet ſui, ut ait Pitiſcus, ſervandi gratia, in civitate plena populo, & variis poteſtatibus parente; vel, ut inquit Gravina, *cumque numerus eorum minime eſſet exiguus, diſpertiti fuerunt in decurias: in quibus qui Scriba fieri optabat, locum ſibi aliquando emere ſolebat.* Subdit idem Gravina, Magiſtratibus jus fuiſſe,

ut

Digitized by Google

ut Scribas eligerent; ex Hadrian. Turn. adverſ. lib. 11. cap. 10. Ac proinde Scribæ a Quæſtore electi, Quæſtorii; ab Ædili, Æditii; a Prætore, Prætorii, dicebantur. Aſſerit quoque, apud Marcum Varronem; lib. 4. de ling. latin., de Scribis Pontificum mentionem exſtare; quemadmodum in veteri inſcriptione apud Onuphrium Panvinium, quam ipſe recitat.

Aliud inſuper munus iiſdem Scribis adſignat Gravina præfatus; apparere ſcilicet Magiſtratibus, eiſque leges & jura ſubjicere. Ex quo eveniebat aliquando, quod juvenes, qui Magiſtratum inibant, munus ſuum plerunque ignorantes, a Scriba, quem uſus peritum fecerat, agnoſcere cogebantur: *Itaut Scribæ, qui leges ad manum habebant, eſſent quodammodo doctores Magiſtratuum; quorum juriſdictio pro conſilio, & arbitrio Scribarum explicabatur*. Ob hanc cauſſam Scribarum arrogantia pluſquam æquo exultabat; uſque dum a Catone, ut refert Plutarch. in Cat. maj., qui illorum detegit, & percuſſit, ignorantiam, deprimeretur.

Sunt qui volunt, ex libertis olim Scribas electos fuiſſe; alii autem conſtanter aſſerunt, quamvis inter Apparitores adnumerarentur, ex ingenuis hominibus tamen, non ex libertis, aut libertinis, fuiſſe deſumptos. De Scriba cubiculario, quem nos a ſecretioribus ſecretis, ſeu cubiculi ſecretarium, appellamus, ait Pitiſcus: *Hi apud Romanos ut plurimum libertini erant. Unde in hac inſcriptione Januarius uxorem libertam vocat, quia illam in ſervitute duxerat. Aliquando tamen ingenui erant*. Gruther. de offic. dom. Aug. 2. 21. 3. 29. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Anton. Rom. Græv. tom. 11. p. 955. D. Ex Feſto memorat Gravina *Scribas navales*, *quos omnium fuiſſe, ait, gradu minimos, propter pericula, quæ ſubibant*.

Ad Accenſos gradum facimus. Accenſus ex Piſco erat miniſter Magiſtratuum præter lictores, qui illorum dicto, ad imperium, nutumque, præſto erat, & ad concionem Quirites advocabat. Cic. de legibus 11. 24. *utantur Accenſo, atque lictoribus*. Et Sueton. in Jul. c. 20. num. 2. *antiquum retulit morem, ut quo menſe faſces non haberet, Accenſus ante eum iret, lictores pone ſequerentur*. Et Cicero Frat. 1. 1. *Accenſus ſit eo numero, quo eum majores noſtri eſſe voluerunt: qui hoc non in beneficii loco, ſed in laboris ac muneris, non temere ſuis libertis deferebant, quibus illi quidem non multo ſecus, ac ſervis, imperabant*. Ex Gravina vero Accenſi inter Apparitores adnumerabantur, ut dictum eſt; illorumque munus erat accire, quod eſt excipere Conſulis mandata; ad comitia centuriata vocare; ad tribunal Prætoris illos, quibus jus reddi debebat, accerſire; & moleſtis interpellationibus ſilentium indicere. Varro de ling. lat. Sigon. lib. 2. c. 15. de antiqu. Civ. Rom.

De Accenſo dicitur, quod priuſquam Romæ horologia eſſent, horam eſſe vel tertiam, vel meridiem, vel nonam ipſe clamabat. Varro de ling. lat. v. 9., & Plin. 8. 60. *duodecim tabulis ortus tantum & occaſus nominantur, poſt aliquot annos adjectus & meridies, Accenſo Conſulum id pronuntiante, cum a curia inter roſtra, & græcoſtaſin, proſpexiſſet talem ſolem*. Apud quoſdam etiam Scribæ munere Accenſus fungebatur. Legimus apud Cicer. Verr. 3. 66. *Non reprehendo, quod ſcripſit Accenſus. Cur enim ſibi hoc Scribæ ſoli aſſumant?* Denique quod Accenſum habuerint non tantum Conſules, & Prætores, verum quoque Decuriones, & Centuriones, teſtis eſt Varro, de vit. pop. Rom. 1. apud Non. 12. 8. *cum erant attributi Decurionibus, & Centurionibus, qui eorum habebant numerum, Accenſi vocantur*.

Et

Et ne æquivocatio gratis aliquando a Scribentibus fiat, ſubdit Pitiſcus, quod Accenſus eſt etiam nomen ordinis, & promotionis in militia, ut nunc dicitur princeps, vel commentarienſis, aut cornicularius. Subdit, Accenſos fuiſſe alios a Rorariis, quanvis utrique leves eſſent, & ex eorum genere, quos Græci ψιλὰς appellant. Rorarii ſiquidem honeſtiorem gradum habuerunt, quam Accenſi; quandoquidem Livius prius Rorarios nominat, deinde Accenſos. Poſtmodum ex Catone concludit, Rorarios pugnaſſe in acie Romana, ante reliqua ſigna procurrendo in hoſtes; non Accenſos, qui miniſtri erant Tribunorum, ſi forte & Centurionum, immo etiam Conſulum, & Prætorum.

Interpres ex laudato Pitiſco, hoc verbo, vocatur, qui inter venditorem, & emptorem, pararius, ac proxeneta, difficultates, inter utrunque oriri ſolitas, ob pretium, explicat. Et quia Interpretis erat diſcordias inter contrahentes componere, inde factum eſt, quod qui diverſæ linguæ homines, ſermonem inter ſe habentes, componebat, Interpres etiam dicebatur. Unde Iſidorus 10. *Interpres, quod inter partes medius ſit duarum linguarum, dum transfert.* Et Gravina c.l. *erant & Interpretes, a quibus exſterorum ſermo populorum ignaris linguarum aperiebatur.*

Centum triginta Interpretes in urbe Colchicæ, regionis Dioſcuriade, inveniebantur, qui Romanis ad negociaciones peragendas cum omnium nationum peregrinis, inſerviebant. Hinc Plinius 6. 5. *urbe adeo clara, ut Thimoſthenes in eam 300. nationes diſſimiles linguis deſcendere prodiderit. Et poſtea a noſtris 130. Interpretibus negocia ibi geſta.*

Interpretes etiam Legatorum verba, qui diverſa lingua utebantur, ad Senatum, vel Imperatorem, pa-

tria lingua explicabant; ſicque fiebat, ut Senatus Oratores, & Oratores Senatum, intelligerent. Hi Interpretes diverſarum gentium dicebantur; & de his intelligendus eſt Tullius de Divin. II. 64. *Si Pœni in Senatu noſtro ſine Interprete loquerentur*. Et Fin. V. 29. *Ita quemadmodum in Senatu ſemper eſt aliquis, qui Interpretem poſtulet, ſic iſti nobis cum Interprete audiendi ſunt*. Magiſtratus quoque Romani, in provincias miſſi cum imperio, ad deſideria hominum provincialium intelligenda, Interpretes habebant. Cicer. Verr. 3. 37. *Varius eſt in Sicilia Interpres, quo iſte Interprete, non ad græcam linguam, ſed ad furta, & flagitia, uti ſolebat*.

Præcones erant miniſtri publici, quorum miniſterio Romani utebantur in auctionibus, in comitiis, in funeribus, in judiciis, in ludis, in rebus amiſſis, in ſuppliciis. In auctionibus, quia per Præconem, tam privatim, quam publice mancipia, jumenta, merces, agri, loca, ædificia, vendebantur. In comitiis, quia centurias & claſſes ad ferendum ſuffragium vocabant. Et deinde deſcriptis ſingularum centuriarum ſuffragiis, quæ illarum eſſet ſententia, magna voce pronunciabant. In funeribus, quia exequias qui irent, evocabant. In judiciis, quia ut ait Aſcon. in Cicer. p. 69. *apud veteres & Judices, & rei, & accuſatores, & defenſores, citabantur a Præcone Prætoris*. In ludis, quia ſolemni more ad ſeculares ludos vocabant; ſilentium in ludis indicebant, acclamationes fieri jubebant, quid agendum eſſet in ſcena populo ſignificabant, & qui victores eſſent, renunciabant. In rebus amiſſis, quia has inveſtigabant, & conquirebant. In ſuppliciis, quia moris erat, ſub Præconis elogio, ſeu ſub Præcone, cauſſam condemnationis ſuperdicente, de damnatis pœ-

pœnas exigi. Hæc ex Pitiſco; ex Gravina vero quæ ſequuntur : *Item & Præcones, qui vel ad haſtam in auctionibus ſtabant, ut oblata pretia ſignificarent; vel in comitiis magiſtratuum, ut populum cogerent ad ſuffragia, & deſignatos renunciarent; vel in judiciis & quæſtionibus, ut judices, & reos, & accuſatores, & teſtes, accirent; vel, ſubjiciente Scriba, ferendas leges populo recitabant; vel in concionibus audientiam faciebant.*

A Præconibus aliquando Lictoribus præcipiebatur, ut ſupplicia a reis, apud Romanos, exigerent. Quod dicebatur, Præconem jubere, Lictorem lege agere; hoc eſt, ut ex officio ſuo ageret, & ſententiam in damnatos exequeretur. Apud Livium legimus 26. 15. quod Fulvius, Romanus Conſul, capta Capua, animadvertere volens in Campanos Senatores, *Præconi imperavit, ut Lictorem lege agere juberet.* Præcones demum liberos homines fuiſſe, & ex Romanis civibus electos, paſſim hiſtorici tradunt.

Ad Viatores accedimus, quorum munus dicebatur, Senatores ex agris vocare, quoties Senatus cogendus eſſet. Teſtimonium habemus apud Tullium de ſenect. c.16. *A villa in Senatum arceſſebantur, & Curius, & cæteri Senes: ex quo qui eos arceſſebant, Viatores nominati ſunt.* Et apud Colum. præfat. 1. illis temporibus Proceres in agris morabantur, & quum conſilium publicum deſiderabatur, a villis arceſſebantur in Senatum; ex quo qui eos arceſsebant, Viatores nominati ſunt. Tractu temporis hoc etiam nomine vocati ſunt, qui Tribunorum, & Ædilium Plebis, juſſu, quemlibet comprehendebant. Livius adducitur teſtis 11. 56 *ardens ira Tribunus Viatorem mittit ad Conſulem, Conſul Lictorem ad Tribunum.*

Gravina etymologiam repetit a via, quia *juſſu ma-*

Magiſtratuum Viatores arceſſebant a via, vel aliquod nunciabant; *atque hinc dicti Viatores*. Ex Strabone lib. 5. in fin. habemus Viatores publicos Tabellarios fuiſſe; pro quo officio, ait, Picentes a Romanis deſtinatos fuiſſe: *Quo quidem tempore pro militari officio, ut Viatoris publici, aut Tabellarii, operam explerent, aſſignati ſunt*. Quod referens Cardinalis Baronius ad an. 34. explicat his verbis: *Picentes vero, quod ad eundem deſciviſſent, Romana civitate privatos, loco militiæ Curſores, ac Tabellarios eſſe, eoque munere reipublicæ inſervire damnatos, auctor eſt Strabo*.

Servi publici officium & miniſterium publicum Sacerdotibus, aut Magiſtratibus, & Populo, exhibebant. Oppida, Municipia, Societates, & Fana, ſervos publicos habebant; quos aliquando, impoſitis a ſe nominibus, manumittentes, in libertatem vocabant. Duplex erat illorum munus, judiciis rebuſque forenſibus inſervire, & ſacris. Et quanvis Romanus Populus pro miniſterio publico Lictores haberet, Viatores, Apparitores &c. Servos tamen publicos fuiſſe alios a Lictoribus, ex quodam S. C., quod adfert Frontinus, de Aquæduct., oſtendit Pitiſcus. Idem aſſerit, eorum uſum fuiſſe quoque in triumphis; atque identidem omnibus Magiſtratibus, Cenſoribus nimirum, Ædilibus, Quæſtoribus &c. apparuiſſe. Cic. Phil. 13. 12. meminit Servi publici, qui natione Germanus erat: *Ad quem interficiendum miſſus cum gladio ſervus publicus, natione Germanus*.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

De Lorariis, Carnificibus, atque Tortoribus; & de muneribus, quæ obirent.

DE Lorariis hæc pauca diſſerit Pitiſcus; primum, Lorarios, aſſerit, fuiſſe in arena, & ſcena; eorumque munus cogere Gladiatores pati, quæ ſe paſſuros, juraverant. Affert Tertullianum, qui, lib. de Spectac. c. 21., inquit: *Imo qui propter homicidæ pœnam probandam ad ſpectaculum veniat, idem gladiatorem ad homicidium flagellis, & virgis, compellat invitum.*

Secundo, Lorarios etiam illos eſſe dictos, qui loris, & flagellis, excipiebant, Dominorum juſſu, ſervos, qui imperia detrectaſſent, vel ſegniter obiiſſent. Hæcque profert ex Gellio, qui 10. 3. ait: *Hi ſequebantur Magiſtratus, tanquam in ſcenis fabulis Lorarii; & quos erant juſſi, vinciebant, aut verberabant.*

A Loro dictos alii volunt, quia loro cædebant, aut vinciebant, quos, vel a Dominis, vel a Magiſtratibus, ipſis præcipiebatur cædere, vel vincire. Apud Plautum frequens Lorariorum mentio, ſi de Lorariis illis ſit ſermo, qui, ut dictum eſt, in arena, & ſcena, inſerviebant. Alios vero Lorarios fuiſſe dicunt, Lictores, aut Miniſtros Magiſtratuum, qui eis, in Provincias proficiſcentibus, miniſtrabant, faſceſque præferebant. Calepin. verb. *Lorarii*. Lorum denique erat corrigia, ſive ligula calcei: unde vel vinculum, quo rei vinciebantur; vel flagellum, quo iidem verberabantur. Pitiſcus ex Laurent. de Rebuſpublic., & reb. ad eaſdem ſpect. c. 7. vult corrigias ex corio factas, quibus

bus non ſolum vincti, ſed & verberati, & diſcerpti crudeliter erant.

Carnifices erant homines, per quos ſontes in crucem Romani egebant. Non modo Romani cives non erant, ſed nec domicilium habere in Urbe poterant. Cicero pro Rab. c. 5. *Sed moreretur potius acerbiſſima morte millies Gracchus, quam in ejus concione Gracchus conſiſteret: quem non modo foro, ſed etiam cœtu hoc ac ſpiritu cenſoriæ leges, ac urbis domicilio carere voluerunt.* Et ex eo, quod timebant Romani, Carnificum præſentia & contagione pollui liberam civitatem: Cic. ibidem c.4. *Uter noſtrum tandem, Labiene, popularis eſt? Tu ne, qui civibus Romanis in concione ipſa Carnificem, qui vincula putas adhiberi oportere; qui in campo martio comitiis centuriatis auſpicato in loco crucem, ad civium ſupplicium, conſtitui, & defigi, jubes? An ego, qui funeſtari concionem contagione Carnificis veto; qui expiandum forum Populi Romani ab illis nefarii ſceleris veſtigiis eſſe, dico?*

Qui erat Romæ Carnifex, in Suburra habitationem habebat. Unde Martialis 11. 17. 1.

Tonſtrix Suburræ faucibus ſedet primis,
Cruenta pendent qua flagella Tortorum.

Eodem in loco, in Suburra ſcilicet, ut in amœno & frequentiori civitatis loco, Meretrices in majori copia habitabant. Victor: *Lupariæ in Suburra.* Et Martialis 11. 62. 2.

Summœnianis inquinatio buccis,
Quem cum feneſtra vidit e Suburrana,
Obſcœna nudum lena fornicem clauſit.

Denique inter Carnificis inſtrumenta tintinnabula, fuiſſe, ſcribit Pitiſcus; & ex Plauto in Pſeudolo conſtat: *Lanios inde accerſam duos cum tintinnabulis*. Ex Feſto

Feſto ſubdit idem Pitiſcus, Carnificis loco habitum, qui ſe vulneraſſet, ut moreretur. Ac demum in triumphis Carnificem non procul a triumphante ſediſſe, ex Zonara colligitur, t.2.p.61., qui deſcribens triumphum Furii Camilli, Dictatoris, de Vejentibus triumphantis, ait: *Appenſa quoque erat currui nola, & flagellum: quæ innuebant, eum in tantas calamitates poſſe incidere, ut, aut flagris cæderetur, aut capitis damnaretur. Nam qui ob facinus extremo ſupplicio afficiebantur, nolas geſtare ſolebant, ne quis, inter eundum, contactu illorum, piaculo ſe obſtringeret.*

De Tortoribus nihil Pitiſcus in ſuo Lexico ſcribit. Ex Calepino tamen habemus, Tortorem fuiſſe illum, qui, veritatis eruendæ cauſſa, tormenta admovebat. Quod, quoniam hodie Carnificum officium eſt, factum eſſe, ſubdit, ut Tortorem pro Carnifice accipiamus. Cic.pro Clu. *Cum jam Tortor, atque eſſent tormenta ipſa defeſſa*. Liv. 10. bell. Maced. *Conſpectum Tortoris, verberumque, non ſuſtinuit*. Horat. 3. Ca. Ode 5. *barbatus Tortor*. Tortores, addit, illos quoque fuiſſe, qui apud nos *bombardieri*, *e baleſtrieri*, dicuntur. Ac tandem ex Amiano aſſerit, illos eſſe, qui ſaxa, aliave tela, ex baliſta, aliave machina, ejaculantur.

In Euangelio Tortores legimus. Matth. ſcilicet 18. 34. *Dominus ejus tradidit eum Tortoribus, quoad uſque redderet univerſum debitum*. Quæ verba explicans Cornelius a Lapide, ait: *Conſtat ex hiſtoriis, & ex jure civili apud Romanos Gentiles, quibus Judæi tempore Chriſti erant ſubjecti, ſolere debitores a creditoribus tradi Tortoribus in carcerem trudendos, & verberibus flagellandos; nam primus Conſtantinus Imperator, ex chriſtiana benignitate, a plumbatarum flagellis debitores abſolvit.*

Non immerito nos ergo in operis fronte, *de natione Tortorum Chriſti*, titulum inſcripſimus: ſiquidem Tortorum nomine Carnifices veniunt, quum, ex Calepino, Tortorem pro Carnifice accipiamus. Tortores etiam verberabant, ut ex Livii teſtimonio; Tortores flagellabant, ut ex Euangelii textu; Tortores mortis ſupplicio reos afficiebant, ut ex præfatorum verbis. Quum igitur nos de illis loquamur, qui Chriſtum, vel flagellis in columna verberarunt, vel Cruci in Calvario affixerunt; eos omnes judicavimus ſub Tortorum nomine comprehendere; ac proinde de natione Tortorum Chriſti titulum poſuimus.

§. VI.

Auli Gellii verba expenduntur, & ad rem probandam, quam Adverſarii intendunt, nullius roboris eſſe demonſtrantur.

AD rem propius deveniamus. Satis enim conſulto uſquemodo ſcriptum eſt de iis, quæ ad rem inferius dilucidandam aptiora videbantur. At ante omnia oportet Auli Gellii verba, in quibus tota Adverſariorum machina conſiſtit, recitare; eaque poſtmodum expendere, & inquirere, cujus ſint momenti, ut vere poſſint homines ſe inducere, ut credant; quæ ex iiſdem Adverſarii noſtri ſolent credulis Legentibus venditare.

Auli Gellii Noctium Atticarum lib. 10. c. 3. verba hæc ſunt: *Quod Cato dixit, Brutiani verberavere: Ne quis fortaſse de Brutianis requirat, id ſignificat. Cum Hannibal Pœnus cum exercitu in Italia eſset, & aliquot*

pu-

pugnas Populus Romanus adverſas pugnaviſset, primi totius Italiæ Brutii ad Hannibalem deſciverunt. Id Romani ægre paſſi, poſtquam Hannibal Italia deceſſit, ſuperatiq; Pœni ſunt, Brutios, ignominiæ cauſa, non milites ſcribebant, nec pro ſociis habebant: ſed Magiſtratibus in Provincias euntibus parere, & præminiſtrare, ſervorum vice, juſſerunt. Itaque hi ſequebantur Magiſtratus, tanquam in ſcenis fabulis, qui dicebantur Lorarii; & quos erant juſſi, vinciebant, aut verberabant. Quot autem ex Brutiis erant, appellati ſunt Brutiani.

Gabriel Barrius, natione Calaber, patria Franciçanus, de Calabriæ hiſtoria exacte & erudite ſcribens, aſſerit, & propugnat, præfata verba vere Auli Gellii non eſſe; ſed in illius librum malignorum invidia, ac æſtu in gentem noſtram, fuiſſe, contra veritatem omnem, audaciſſime inducta. Is profecto, de antiquitate & ſitu Calabriæ, ſcribens, libro primo, fol. 33. non vult *Brutios* ab Aulo Gellio fuiſſe ſcriptos, ſed *Bojos*; quum revera *Boji* fuerint, qui primi a Romanis defecerunt, & ad Hannibalis caſtra tranſierunt. Quod Boji Romanis rebelles fuerint, & Pœnorum ſigna ſequentes, ſub Hannibale meruerint, ex Plutarcho eruimus in Hannibale: *Boji, Legatis Romanorum per fraudem captis, Manlio Prætore magna clade affecto, ſolicitatis Inſubribus, ad Pœnum defecerunt.* Hoc ergo ipſo quod Boji Pœnorum ſigna ſecuti fuerint, illi procul dubio fuerunt primi, & non Brutii, qui ad Hannibalem defecerunt; quum Hannibal, per alpes in Italiam deſcendens, non Brutiorum, ſed Bojorum, provinciam neceſſario invadere primo loco debebat. Si per Siculum fretum ſibi aditum in Italiam paraſſet, utique Brutii fuiſſent primi ab ipſo devicti, & ad ipſum deficien-

tes. At Italiam petens, per alpes introivit; Italiam vero fugiens, quam uſque tunc amico fato invaſerat, per Siciliæ fretum in Africam invitus redire coactus fuit. Proindeque Brutii, ſi ad ipſum deſciverunt, non utique primi fuerunt, at potius poſtremi deficientes; Boji autem certo certius fuerunt primi, qui a Romanis aufugientes, Pœnis ſe ultro dederunt.

Quam regionem Boji incoluerint, ex priſcis Scriptoribus Pitiſcus verbis hiſce exponit: *Boji ab ortu ſolis Senonibus, teſte Polybio, ab occaſu Liguribus Ciſpadanis ad Trebiam amnem adhæſerunt, a meridie quidem apennino, a ſeptentrione Pado incluſi. Quod cum ita ſit, profecto apparet, oppida eorum fuiſſe ultra Rubiconem ad mare, Ravennam intus, Cæſenam, Faventiam, Claternam, Bononiam, Mutinam, Macros campos, Nuceriam, Tanetum, Parmam, Brixillum, Fidentiam, & Placentiam. Variis bellis a Romanis victi, & domiti, poſt Romana pace contenti in perpetuum quieverunt. Strabo auctor eſt, Bojos ex finibus ſuis in loca Danubio vicina tranſlatos, radicitus eſſe ſublatos. Eoſdem etiam funditus interiiſſe ex Catone refert Plinius, cum eorum centum duodecim Tribus fuiſsent. Et poſt hæc tempora nulla in Italia Bojorum memoria celebratur. Sigon. de antiq. jur. Ital.* 1. 24.

De his porro populis loquutus eſt etiam Plutarchus, quando ad præfata verba, de Liguribus, & Gallis ciſalpinis, qui Bojis vel finitimi erant, vel cum iiſdem permixti atque confuſi, alloquens, ſubjunxit: *Magnam multitudinem Ligurum, & Gallorum, ad Hannibalem confluxiſse, qui non minori odio ad Romanos, quam Pœni, ardebant*. Immo ipſemet Livius dec.3. lib.1. aſſerit: *Cum perinde ac ſi alpes jam tranſiſſet, Boji, ſolicitatis Inſubribus, defecerunt; nec tam ob veteres in Populum*

pulum Romanum iras, quam quod nuper circa Padum, Placentiam, Cremonamque, colonias, in agrum Gallum deductas, ægre patiebantur. Itaque armis repente arreptis, in eum ipſum agrum, impetu facto, tantum terroris ac tumultus fecerunt, ut non agreſtis modo multitudo, ſed ipſi triumviri Romani, qui ad agrum venerant aſſignandum, diffuſi Placentiæ mœnibus, Mutinam confugerint, C. Luctatius, A. Servilius, & T. Annius. Luctatii nomen haud dubium eſt. Pro A. Servilio, & T. Annio, Q. Acilium, & C. Herennium, habent quidam annales. . . . Id quoque dubium eſt, an Legati ad Bojos, ad expoſtulandum, miſſi, violati ſint; an in Triumviros, agros metentes, impetus ſit factus.

Non tantum ergo primi ad Pœnos Boji defecerunt, ſed defertione præſertim, & proditione, defecerunt; ut de Gallis ciſalpinis; inter quos Boji adnumerabantur, citato loco, Livius teſtatur. *Ex caſtris Romanorum, quæ Placentiæ erant, Galli auxiliares ad duo millia peditum, & ducenti equites, vigilibus ad portas trucidatis, ad Hannibalem transfugerunt; quos Pœnus benigne allocutus, & ſpe ingenti donorum accenſos, ad civitatem quemque ſuam, ad ſolicitandum Popularium animos, dimiſit.* Quid ergo mirum, ſi Hannibale jam in Africam reduce, Romanis bonum vel malum Sociis, vel Deſertoribus juſte reddentibus, Boji, quidem, non Brutii, pœnas, quas Adverſarii in Brutios, invidiæ ergo, objiciunt, ſuſtinuerunt? Livium producimus teſtem, cujus verba a Joanne de Flore, in ſua Calabria illuſtrata, recitantur, par. 1. cap. 3. append. 2. *Quare Boji, ipſo pulſo Italia Hannibale, a Lucio Valerio Conſule fuſi ſunt, & graviter a Romanis mulctati fuere; nam Lorariis, & Lictoribus, Carnificiſque officiis, attributi ſunt.* Et hinc putant univerſim fore homines, nomen *Boja* apud

apud Italos Carnificibus datum; quia Carnificum officium Bojis populis in ſupplicium attributum.

Et quanvis Boji populi fuerint in Italia conſtituti, ut nuper diximus; eos nihilominus in Gallia etiam comperimus fuiſſe, atque etiam in Germania. Quod quidem hoc prævio diſcrimine intelligendum eſt, quod primo Boji in Gallia tranſmontana fuerunt; ex qua deinde in Italiam advenere; & poſtmodum, poſt Hannibalem victum, in defectionis pœnam in Germaniam pulſi. Calepinus hæc omnia ex vetuſtis Auctoribus refert. *Boii m. 2. Βόιοι, Straboni populi Galliæ Lugdunenſis, teſte Plinio lib.4. c. 18. qui putantur agri Borbonienſis tractum incoluiſſe. Hi poſtea alpes tranſgreſſi, juxta Padum conſederunt, ubi Laudam Pompeiam urbem condiderunt, teſte eodem lib.3.c.17. Iidem a Romanis expulſi, in Germaniam ſe contulerunt, teſte Strab. lib.7. Ubi Hercyniæ ſilvæ partem incoluerunt, quæ regio ab eis primum Bojobemia, poſt abjectis aliquot literis, Boemia vocata.*

Alii apud eundem Calepinum aliter ſcribunt, ſed in idem tendunt: *Horum regio* Borbonnois, *& urbs Boja Cæſ.* Bourbon *vulgo dicitur, a Molino urbe primaria 4. M. Gal. Boji item Germaniæ Cæſ., quorum regio Bojaria, & Bavaria, vulgo* Bayern, *cujus regia, & ſedes Ducum, eſt Monachium*, Munchen, *ab Auguſta Vindelicorum ad 8. M. Germ. diſtans in ortum. Boji præterea Plin., Polyb., Ptol. in Italia: quorum regio fuit Romandiola, vulgo* Romagna, *& urbs primaria* Ravenna.

Pœnam tamen Bojis a Romanis inflictam, non Boji Galli, non Boji Germani, ſed Boji Itali, ſuſtinuerunt; quia culpa non illorum, ſed horum fuit. Boji Itali ad Hannibalem defecerunt, & primi quidem, ex il-

la

la Romæ parte, quæ ad lævam conſiſtit, defecerunt; non autem Boji Galli, a quibus Italos deſcendiſſe diximus. Germani vero quanvis iidem fuerint, qui, ex Italia pulſi, in Germania recluſi ſunt, tractu tamen temporis, aliis moribus vixerunt. Unde ad ſolos Bojos Italos, qui modo in rerum natura non exſtant, pœna illa redacta eſt, & Carnificis officium addictum; ex quibus quoque nomen emerſit, quod eſt omnibus funeſtum, & execrabile.

Hæc quidem modeſtius pro A. Gellio dicta ſint; quæ ſi Legentes non pronis auribus accipient, aliter reſpondebimus, & Gellius ipſe parcet nobis, ſi pro veritate tuenda, ejus nomini conſulere, quantum volumus, haud poſſumus. Gellius ſiquidem non Hiſtorici partes egit, ſed Grammatici potius, aut ſaltem Academici, quum illa componeret, quæ noctu in agro Attico recitabat. Hinc Operi ſuo *Noctium Atticarum* titulum inſcripſit; quod potiſſimum ſuſcepit, ut hyemalium noctium longitudinis tædio ſocios ſublevaret: Quemadmodum ipſemet in Operis fine manifeſtavit, verbis hiſce: *Sed quoniam longiſſimis per hyemem noctibus in agro, ſicut dixi, terræ Atticæ commentationes haſce laudare ac facere exorti ſumus, idcirco eas inſcripſimus, Noctium Atticarum*. Et paulo poſt: *Nos vero, ut cœtus noſter eſt, incurioſe & immediate, ac prope etiam ſub vertice, & ipſo loco, ac tempore hybernarum vigiliarum, Atticas Noctes inſcripſimus*.

Proinde haud exactam temporum rationem, haud nationum vera vel ſimulata præjudiciorum momenta, haud hiſtoricæ veritatis indaginem, vel perpendere, vel aſſequi, vel mereri, curavit. Hinc Ludovicus Vives lib. 3. de trad. diſcipl. ſcripſit: *Aulus Gellius, homo rhapſodus plane, congeſtor potius, quam digeſtor, & oſten-*

oſtentator, quam peritus; loquaculus ſine eruditione; in verbis ac ſententiis putidulus. Quæ de ſignificatu vocum diſſerit, ſunt frivola, & plerunque imperita, ac falſa. Legendus eſt quidem, ſed ita, ut te rem levem ſcias inſpicere. Cæteri autem Scriptores in grammatica eum haud dubie extollunt; quemadmodum Auguſtinus lib.9. de civ. Dei c.4. appellavit *virum elegantiſſimi eloquii, & multæ ac facundæ ſcientiæ*: Sed in hiſtoria nemo eſt, qui eum laudet. Unde a Scioppio, de ſtylo, pag.208. *Novator non magni pretii* dictus eſt; ab Eraſmo, in Ciceronian. ſcribitur: *Auli Gellii candidiſſimam phraſim mirantur Eruditi; ſed nec argumentum convenit, nec phraſis, primum affectata, & verborum copia pene ſuperfluens, rerum ſupellectile frugalis.* Et Scaliger denique in Scaligerana ſecunda, quod grammaticam etiam reſpicit, dolet, quod Gellii *liber tot barbaris vocibus ſcateat.*

Quum autem Gellius conventus illos agere ſtuduerit, ut hyemalium noctium prolixitas tædio amicis non eſſet, conſequens ſane erat, ut ea in medium adduceret, quæ ſociis ſolatium ac riſum incitaſſent. Hoc, ni fallimur, Gellius ipſe fatetur in ſui Operis coronide: *Sed quoniam longinquis per hyemem noctibus in agro, ſicut dixi, terræ Atticæ commentationes haſce laudare ac facere exorti ſumus; idcirco eas inſcripſimus, Noctium Atticarum.* Studioſior proinde fuit, ut amicis placeret, quam ut veritatem aſſequeretur; & pro nihilo habuit ſcommata in alios proferre, dummodo ſociis jucunda pararet. Quam ergo auctoritatem dicta ſua facient, quando Legentes comperient, ipſum magis nugis, quam hiſtoriis, plus ſolatio, quam profectui, non tam veritati, quam fabulis ſtuduiſſe?

Ipſum Gellii nomen importat riſum; unde apud Ca-

Calepinum : *Gellius*, γέλως, *riſus* ; ἀπὸ τοῦ γελᾶν, *ridere*. Et Gelaſini dicuntur dentes anteriores, quos ridendo oſtendimus, ἀπὸ τοῦ γελᾶν, *hoc eſt a ridendo*, apud eundem. Ac tandem Mimi, qui geſticulatione faceta populum oblectant, Gelaſini quoque dicuntur; unde Gelaſinus ille Plautinus. Haud ergo mirum, quod Gellius nomini ſuo reſpondere volens, amicorum genio arridere, noctium tædium læta allocutione ſublevare, illa propoſuerit, quæ ſodalibus riſum provocaſſent. Et in hoc parum aut nihil ſolicitum ſe oſtenderit, ea, quæ dicebat, exacto criterio examinandi; hoc ſolo contentus, quod placentia, non quod vera, narraret.

At penitius rem expendere oportet; & ex propoſito perquirere, an re vera Brutii fuerint primi, qui ad Hannibalem tranſierint, ut Gellius comminiſcitur? Et quanvis oſtenderimus ex illa Romæ parte, quæ lævam reſpicit, non fuiſſe primos; quia Boji, ut diximus, primi in defectione fuerunt: ex altera modo parte, quæ dexteram complectitur, demonſtrabimus quoque, nec fuiſſe primos; quia alii, & quidem plures, populi, ad Pœnos ſe dederunt, antequam Hannibal ad Brutios deſcendiſſet.

Eruditi omnes norunt, cui major ſit adhibenda fides, Livio ne, rerum Romanarum Scriptori accuratiſſimo, an Gellio, nugatori potius, & ut plurimum, ad riſum provocandum audientibus, alloquenti? Livius Hannibalis bellum contra Romanos, aliique cum ipſo, ſingulis annis deſcribentes, primo anno ponunt, Hannibalem Haſdrubali, fratri mortuo, in exercitus imperio, ſucceſſiſſe, & toto illo anno intra Hſpaniarum fines ſe ſemper continuiſſe. Anno poſtmodum ſecundo, per alpes in Italiam deſcendens ad Trebiam Titum Sempronium Tacinum ſuperavit. Hoc anno

 Boji,

Boji, ut dictum eſt, a Romanis ad Hannibalem defecerunt, & primi fuerunt omnium in Italia, qui Pœnorum ſigna ſecuti ſunt. Tertio deinde anno e Gallia Ciſalpina ad Hetruriam devenit Hannibal, ibique ad Traſimenum Flaminium vicit. Inde Umbriam pertransiens, atque Picœnum, in Apuliam venit; ad Marſos, & Pelignos rediens, in Samnio ſtetit; Samnium relinquens, ad Pelignos redit, ad Apulos, atque Campanos.

Hæc circa tempora Campanorum defectionem ad Hannibalem Livius narrat. Etenim Q. Flaccus, rationem Senatui reddens, quare Campanos arctiſſima obſidione incluſos retineret, continuoque, acriterque, divexaret, apud præfatum Livium, hæc de Campanis refert: *Nulla in terris gens eſt, nullus infeſtior populus nomini Romano; ideo eos mœnibus incluſos habeo; quia ſi evaſerint, alii velut feræ beſtiæ per agros vagantur, ut lanient, & trucident quodcunque eis obviam datur; nam alii ad Hannibalem transfugerunt, & alii ad Romam incendendam profecti ſunt.* Et Lucius Rufus apud eundem Livium apertiſſime teſtatur, Campanos primos fuiſſe ex parte hac altera, qui Hannibalis ſigna ſecuti fuerint; ideoque pœnas enumerans, quibus eos Romani mulctaverant, eaſdem aſſerit eorum ſceleribus pares nequaquam fuiſſe. *An Campanorum pœnæ, nec ipſi quidem queri poſſunt, nos pœniteat? Hi homines, cum pro eis bellum adverſus Samnites per annos prope ſeptuaginta, cum magnis noſtris cladibus, geſſiſſemus, ipſos fœdere primum, deinde connubio, atque inde cognationibus, poſtremo civitate, conjunxemus, tempore noſtro adverſo PRIMI omnium Italiæ Populorum, præſidio noſtro fœde interfecto, ad Hannibalem defecerunt; deinde indignati, ſe obſideri a nobis, Hannibalem ad oppugnandam Romam miſerunt.* Hæc

Hæc ex Livio a Flore, in Calabria habitata lib.1. par.1. cap.3. num. 3. Ex quibus evidentiſſime liquet, Brutios non fuiſſe primos, qui ex hac parte a Romanis ad Hannibalem defecerunt; ſiquidem Campani dicuntur *PRIMI omnium Italiæ Populorum* ad Hannibalem deficientes. Anno deinceps quarto Hannibalis in Italiam adventus, ſeu potius Hannibalis imperii exercitus punici, Haſdrubale jam mortuo, Cannenſis accidit victoria, quæ omnium infauſtior Romano populo fuit. Poſt hanc victoriam Hannibal, ut refert Genebrardus apud Flore, citato loco, num.4., *accepit Atellanos, Calatinos, Hirpinos, Apulorum partem, & Samnitum, Brutios omnes, Lucanos, Surrentinos, Græcorum omnem fere oram, Tarentinos, Metapontinos, Crotonenſes, Locrenſes, Ciſalpinoſque omnes Gallos.* Hæc prima Brutiorum mentio, quando ſcilicet ipſi, non quidem defecerunt, ſed capti ſunt ab Hannibale, & non ſoli, ſed cum Atellanis, Calatinis, Hirpinis, Apulis, Samnitibus, Græcis, Tarentinis, Metapontinis, Crotonenſibus, Locrenſibus, Galliſque omnibus Ciſalpinis.

Quod quidem ex Livio, apud Flore præfatum, citato loco, manifeſtius apparet: *Hannibal, Roma ejectus, in Brutios proficiſcens, repentino adventu, illos populos incautos oppreſſit*. Et hæc non de primo, ſed de altero ad Brutios adventu, intelligenda ſunt; quia fuit poſtquam Romam capere aggreſſus fuerat; quod ſane poſteriori tempore accidit. Quæ quidem nobis argumento ſunt, quod poſtquam Hannibal Brutios acceperat, Hannibale a Brutiis recedente, Brutii ad Romanam fidem redierunt. Poſtmodum ſecundo adveniens, repentino adventu, incautos oppreſſit. Oppreſſio fuit ſane, non deditio, Brutiorum; & non ex voluntate oppreſſorum accidit oppreſſio, ſed ex opprimen-

 tium

tium adventu velociſſimo, ac repentino.

Si autem ex altero Livii teſtimonio Adverſarii noſtri intendunt, Brutios ad Hannibalem defeciſſe; obſervent, ſi volunt, apud ipſummet Livium, non ſolos Brutios defeciſſe ſcribi, ſed Apulos quoque, Samnites, Lucanos, atque Campanos. Hæc dec.3. lib.3. narrantur: *Brutios, Apuloſque, partem Samnii, ac Lucanorum, defeciſſe ad Pœnos. Capuam, quod caput non Campaniæ modo, ſed poſt afflictam rem Romanam Cannenſi pugna, Italiæ ſit, Hannibali ſe tradidiſſe*. Et hæc quidem accidiſſe putamus, quia Hannibal per totas illas regiones, abſque contradictore, excurrebat; Romani non poterant ſociis auxilium ferre; urbes milites non habebant, quibus Adverſario victori, & tot victoriis elato, reſiſterent. Unde non mirum, ſi Hannibali adventanti portas aperirent; quia abſque milite interius, exterius autem abſque auxilio, illi arma cedebant, qui dominus campeſtrium, abſque contradicente, efferebatur.

Brutii quoque, quum Romanos cepiſſe Tarentum ſcribitur, apud Livium dec.3. lib.7. interfecti narrantur. Sed non ſoli ipſi cæſi fuerunt, verum Tarentini etiam, & Carthaginienſes; & Brutios aliis ex cauſſis interfectos, Livius ipſe declarat: *Alii alios paſſim ſine diſcrimine armatos, inermeſque, cædunt, Carthaginienſes, Tarentinoſque pariter. Brutii quoque multi interfecti ſunt, ſeu per errorem, ſeu vetere in eos inſito odio, ſeu ad proditionis famam, ut vi potius atque armis captum Tarentum videretur, extinguendam*. Ubi ſedulo obſervare oportet, proditionis famam, ſi Brutios, non Tarentinos potius, appellabat, non fuiſſe in odium, ſed ad favorem, Romanorum; quandoquidem intelligit, noluiſſe Romanos, dici, & evulgari, ipſos, non ar-

armis, ſed, vel Tarentinòrum, vel Brutiorum, proditione, Tarentum cepiſſe. Attamen exprimit quoque Livius, fortaſſis Brutios per errorem fuiſſe interfectos. Quod autem dicat, vetere in Brutios inſito odio, Romanos in illos irruiſſe: hoc Romanorum odium, non Brutiorum proditionem, oſtendit; quod quidem odium, vel ex antiqua Brutiorum reſiſtentia, vel ex magna eorundem potentia, dicendum eſt, proveniſſe.

At de Brutiorum urbibus ſingillatim loquamur; ut inde oſtendamus, Brutios, non fraude, nec dolo, ſed vi, & armis, ut plurimum, victos a Pœnis, Romanorum ſocietatem deſeruiſſe. Rhegium obſederunt Pœni, ſed incaſſum; etenim Livio obteſtante, dec. 3. lib. 4. in princip. *Rhegium primum tentatum eſt, dieſque aliquot ibi nequicquam abſumpti*. Poſtmodum Locrenſes laceſſiti, quibus reſiſtentibus plurimum, tandem *juſſu Hannibalis data pax, ut liberi ſuis legibus viverent, urbs pariter, & portus, in poteſtate Locrenſium eſſet, ſocietas eo jure ſtaret, ut Pœnus Locrenſem, Locrenſiſque Pœnum, pace, ac bello, juvaret.* Crotonem pergunt invadere; ſed ibi morbum detexerunt Pœni, qui, Livio perhibente, citato loco, omnes Italiæ civitates premebat; ſcilicet, quod Proceres Romanis, Plebeji vero Pœnis faverent. *Unus velut morbus invaſerat omnes Italiæ civitates, ut Plebes ab Optimatibus diſſentirent; Senatus Romanis faveret, Plebs ad Pœnos rem traheret*. En igitur in recenſitis urbibus non faventes incolæ Hannibali, ſed reſiſtentes, comperiuntur; ac proinde a Romanis non deficientes animo, quanvis armorum vi tandem ad Pœnos acceſſerint. Et quod Plebes Hannibali faverent, non fuit ſolius Brutiæ gentis, ſed totius Italiæ, morbus.

For-

Fortaſſis nuperus Scriptor Gallus objiciet nobis; urbes, modo a nobis enumeratas, Græcorum fuiſſe quidem, non autem Brutiorum. Mirabimur profecto nos, diſtinctionem hanc modo illum memorare, quam non agnovit, quando ſcripſit, *Bruttios, ſeu Bruttianos, fuiſſe Italiæ populos, tractum illum Italiæ quondam incolentes, qui hodie Calabria dicitur*. Non ſoli Brutii tractum hunc, qui hodie Calabria dicitur, habitarunt, verum quoque Græci; unde Magnæ Græciæ nomen apparuit. Hanc ſane diſtinctionem eruditus in primis & criticus Scriptor facere debuiſſet; quum facile apud Scriptores eam inveniſſet, & præcipue apud Ughellum, in Italia ſacra tom.8. in provincia vigeſima, ſeu Calabria, in princip.; hæc ſcribentem: *Calabriam veteres Græci pariter, ac Latini Salentinam Hydruntinorum oram dixerunt. At poſterioribus ſeculis Imperatores Græci auſtralem Italiam in ditione habentes, Calabriam nomen illi parti impoſuerunt, quæ Brutios Populos, & Magnam complectitur Græciam. Hæc omnium continentis Italiæ regionum ſitu poſtrema eſt; quippe maxime omnium in Auſtrum porrecta*.

At demus Locrim, & Crotonem, in magna Græcia fuiſſe, Rhegium certiſſime inter Brutios fuit; ejus enim deſcriptionem faciens laudatus Ughelli, ſcribit: *Rhegium itaque antiquiſſima Brutiorum quondam, nunc ulterioris Calabriæ metropolis eſt, in extremo littore Italiæ poſita, contra Siciliam, &c.* Non ſolæ ergo Græcæ urbes, ſed & Brutiæ, Hannibali, Italiam invadenti, ſe conſtantiſſime oppoſuerunt; & ſi aliquando captæ, armis quidem inimicorum, non amicorum fidei, ceſſerunt; ut de Rhegio obſervavimus. Etiam alias apud Brutios, non tantum apud Græcos, qui

qui Calabriam noſtram olim habitabant; oſtendimus urbes, præter quoque Rhegium, quæ Romano nomini fideliſſimæ, Pœnis magna vi reſtiterunt. Unam Petelliam in medio ponimus, & quidem in Brutiis collocatam, de qua hæc Livius dec.3. lib.3. ſcribit: *Dum hæc in Hiſpania geruntur, Petellia in Brutiis, aliquot poſt menſibus, quam cœpta oppugnari erat, ab Hamilcone, præfecto Hannibalis, expugnata eſt; multorumque ſanguine ac vulneribus ea Pœnis victoria ſtetit: nec ulla magis vis obſeſſos, quam fames expugnavit. Abſumptis enim frugum alimentis, carniſque omnis generis quadrupedum, ſutrinæ poſtmodum coriis, herbiſque, & radicibus, & corticibus teneris, ſtrictiſque rubis, vixere. Nec antequam vires ad ſtandum in muris, ferendaque arma deerant, expugnati ſunt*. Hinc ex Frontino Theatri Auctor apud Flore lib.1. par.2. c.5. num.177. *expiravitque prius eorum tota civitas, quam ulla ex parte Romanæ ſocietatis reſpectum repoſuerit. Itaque Hannibali non Petiliam, ſed fide Petiliæ ſepulcrum capere contigit*.

Non pigeat poſt Petelliam aliquot Brutiorum urbes luſtrare, earundenque fidem erga Romanos, & in Pœnos reſiſtentiam, patefacere. De Conſentia, loco nuper adducto, hæc Livius addit: *Recepta Petellia, Pœnus ad Conſentiam copias traducit, quam minus pertinaciter defenſam, intra paucos dies in deditionem accepit*. De Vibonenſibus idem Livius ſcribit apud Flore, lib. 1. par. 1. cap. 3. *Vibonenſes autem libentium agri depopulationem, urbiſque terrorem pati, quam a Romanorum fide diſcedere voluerunt*. Demum miſſis aliis, obſervare juvat, Hannibalem, anno decimotertio ſui in Italiam adventus, poſt Haſdrubalis mortem, ad Brutios ſe recepiſſe, non quidem tanquam

ad ſocios, ſed tanquam ad hoſtes; quum, Plutarcho teſte, in Hannibale, bellum adverſus omnes Brutiorum urbes, incurſionibus continuis, non juſtis præliis, perageret: *Hannibal ſe in Brutios recepit, ubi excurſionibus magis, quam juſtis præliis, bellum gerebat.*

Cæterum ex tot populis, qui tempore illo Brutios, & Græcos, in regionibus hiſce, quæ modo Calabriæ vocantur, conſtituebant, quid mirum ſi duodecim tantum populi ad Hannibalis partes tranſierunt? Non omnes fuere nec Brutii, nec Græci; non ergo illis pœna adſcribenda jure erat, quæ omnes ignominia affeciſſet. Et ſi ex Brutiis, & Græcis, populi aliquot Hannibalem ſequuti ſunt, etiam ex Campanis, ex Hirpinis, ex Samnitibus, ex omnibus fere Italiæ populis, eundem ſequebantur. Cur ergo non in omnes, ſed in ſolos hoſce, animadverſum?

Nec Brutii, nec Græci, ſemper & omni tempore Pœnorum ſigna obſervarunt; etenim, quum eis opportunum erat, ſtatim ad Romanos redibant. De Conſentia Appianus ait: *Sub idem tempus Craſſus Conſentiam, magnam urbem Brutiorum, atque aliquot oppida, ab Hannibale abſtraxit.* Et Livius; *eodem tempore in Brutiis ex duodecim populis, qui anno priore ad Pœnos deſciverant, Conſentini primi in fidem Populi Romani redierunt.* Quod ſane de Campanis, aliiſque ſimilibus Italiæ populis, non legimus.

At dicent: Nulla ergo populis illis, qui inter Brutios a Romanis ad Pœnos defecerunt, pœna? Caſtigatio nulla? Eadem prorſus, qua Arpini, Lucani, ac Volſcentes, mulctati ſunt; verborum ſcilicet caſtigatio. Hæc apud Livium diſerte narrantur dec.3.lib.27. quæ & Barrius lib. 1. fol. 43. refert: *Iiſdem fere diebus & ad*

& ad L. Fulvium Conſulem Arpini, & Lucani, & Volſcentes, traditis præſidiis Hannibalis, quæ in urbibus habebant, dederunt ſe, clementerque a Conſule, cum verborum tantum caſtigatione, ob errorem præteritum, accepti. Brutiis ſimilis ſpes veniæ facta eſt, cum ab iis Vrbius & Partius, fratres, longe nobiliſſimi gentis ejus, eandem, quæ data Lucanis erat, conditionem deditionis petentes, miſſi eſſent.

Cur igitur Livio, Scriptori Gellio antiquiori, ac in primis Romanarum rerum peritiſſimo, ignota pœna, qua Gellius Brutios aſſerit a Romanis fuiſſe notatos? Si pœnâ illâ vere in Brutios fuiſſet animadverſum, Livius, aut ignoraſſet, aut tacuiſſet? Et ſi Livius tacuit, quare differit Gellius? Non ergo credendum eſt Gellio, quod Scriptores, illo antiquiores, ac veraciores, non enarrarunt; & aſſerendum abſque formidine, aut Gellium fuiſſe ab aliis deceptum, ut illa ſcriberet, aut ſcribendo illa alios decipere voluiſſe.

Nec nos fugiunt, quæ Livius, in Hannibalis ab Italia diſceſſu, de plurium Brutiorum urbium gentibus enarravit. *Ad Cn. Servilium Conſulem, qui in Brutiis erat, Conſentia, Vffugum, Vergæ, Beſidiæ, Hetriculum, Sypheum, Argentanum, Dampetia, multique alii ignobiles populi, ſeneſcere punicum bellum cernentes, defecere*; leguntur dec. 3. lib. 10. Ex quibus inferunt, Brutios uſque ad belli finem Hannibali faviſſe, & nonniſi quam eo diſcedente, ad Romanos rediiſſe. Inepta quidem illatio videtur illis, qui ſciunt, pluries urbes illas a Romanis ad Hannibalem, & ab Hannibale ad Romanos, tranſiſſe. Adventante quidem Hannibale, timor eas impellebat, ut eidem ſe traderent; illo vero recedente, fides urgebat, ut Romanis ſe reſtituerent. Et quidem non expectarunt punici bel-

li mortem, ſed ſenectutem, ut Romanis manus darent; ante ſcilicet belli finem, quem ſane expectaſſent, ſi non neceſſitas, at infidelitas, illos ad Pœnos trajeciſſet. Poſt hæc autem, ait Livius, nihil amplius ab Hannibale actum in Italia. *Nihil certe ultra rei in Italia ab Hannibale geſtum*; ac proinde hic ultimus Brutiarum urbium ad Romanos reditus, quem quidem non vis, non neceſſitas, ſed voluntas movit, amor impulit, fides perfecit.

§. VII.

M. Catonis teſtimonium, quo A. Gellius utitur, examinatur, & quantæ ſit auctoritatis ad rem probandam quam intendit, oſtenditur.

M. Porcius Cato, Cenſorius, patria Tuſculanus, civitate Romanus, Tribunus militum in Sicilia, & Conſul Romanus, natus eſt an. U.C. 519., Mundi 3716., ante Chriſtum 232., ait Thomas-Pope Blount, in Cenſura celebriorum Auctorum. Ex Cornelio Nepote, ab adoleſcentia confecit orationes, ſenex hiſtorias ſcribere inſtituit, quarum ſunt libri ſeptem. Fertur etiam ſcripſiſſe de Originibus; attamen Voſſius de Hiſtoricis Latinis obſervat: *Iſtis Originibus, quas pro Catonianis obtrudere nobis voluit Annius Viterbienſis, nihil profecto inficetius, Catoneque indignius; eam impoſturam, non multo poſtquam in lucem prodierant, Sabellicus vidit, Enneadis 10. lib. 2., item Faber Stapulenſis, Vives, B. Rhenanus, atque alii.* Et ex Panvinio lib. 1. antiquit. Veronenſ. c. 9. apud Blount, habemus:

mus: *Iſtud de M.Catone opus, quod ejus nomine ſcriptum circumfertur, ipſius Catonis genuinum non eſſe, quod his maxime argumentis demonſtrari poteſt. Multorum enim auctoritate conſtat, M. illum Catonem plura, quam nunc habeantur, Originum volumina conſcripſiſſe. Item non pauca earum Originum verba, & a Terentio Varrone, in libris de re ruſtica, & a Cicerone, in oratione pro Cn. Plancio, & in quarto Tuſculanarum quæſtionum volumine, aliiſque pluribus in locis, citari ſolent, quæ nihilominus in provulgato iſto Catone nuſquam reperiri poſſunt. Quibus rationibus illud ſatis intelligitur, eos omnes, aut falſos, aut commentitios, aut certe vanos, eſſe libellos illos, imperfectos, atque omnibus modis obtruncatos, minimeque cum cæteris conſtantes.*

Librum etiam ſcripſiſſe, ajunt, cui titulum impoſuit, *de falſis pugnis*. At quoque librum iſtum, quanvis Grammatici pluries laudent, & cum his Gellius, Eruditi autem fere omnes ſuppoſitum & adulterinum volunt. Juſtus Lypſius præ cæteris titulum primo loco ſugillat, aitque, quod etiam ſi genuinus liber eſſet, *de falſis pœnis*, *non de falſis pugnis*, inſcribi debuiſſet. *M. Catonis libri de falſis pugnis, cujus commemoratio fit apud vetuſtiores Grammaticos, & cujus inſcriptio ſatiſne recta & integra ſit, ſoleo nonnunquam addubitare*. Et poſt pauca: *Videtur quidem mihi inſcriptio illa de falſis pugnis non ſatis huic materiæ & argumento convenire, potiuſque eam levi mutatione de falſis pœnis faciendam*. Hæc Juſti Lypſii verba apud Dominicum Martyre, ſatis accuratum rerum noſtrarum Scriptorem, in ſua Calabriæ hiſtoria M. S., quæ apud Minimos noſtros Patres, in Romano S. Franciſci de Paula Collegio, aſſervatur, fideliſſime inveniuntur.

Accedit, quod libri hujuſce laudatus Blount

 nul-

nullam in ſua Cenſura mentionem facit, quamvis Originum meminerit, quas quoque, ut diximus, ſpurias eſſe, ex quorundam judicio, pronunciavit. Recentiores autem Eruditi, qui veterum Scriptorum fragmenta collegerunt; & præcipue Auſonius Popma, Friſius, qui Catonis fragmentorum collector fuit, & eadem notis illuſtravit, & Joannes Meurſius, qui obſervationes edidit in fragmenta de re ruſtica; immo omnes alii, qui apud Blount M. Catonis ſcripta laudarunt, altum ſilentium præfati libri de falſis pugnis fecerunt.

At admittamus Gellio, librum iſtum vere Catonis fuiſſe; haud tamen ex verbis illius, quod ipſe infert, jure ac vere inferendum eſſe, vel inferri poſſe, concedemus. Siquidem non alia laudantur Catonis verba, quam hæc: *Decemviros Brutiani verberavere*. Nuperus autem Scriptor Gallus hæc Catonis verba producit: *Juſſit illius veſtimenta detrahi, & flagro cædi, quem ſubinde Bruttiani verberaverunt*; de ſuo addens; *nempe ii Lictorum officio fungebantur*. Ex his ſolis verbis Gellius depromit omnia illa, quæ ſuperius exſcripſimus; ut Sigonio interprete habemus, lib. 2. de antiqu. jur. Sen. Rom. l. 15. v. lictoribus: *Punico autem bello confecto, qui Magiſtratibus in Provincia apparerent, eos fere a Brutiis fuiſſe; unde Brutianos dictos tradit Gellius, qui caute exponens, cur quendam a Brutianis verberatum Cato dixiſſet, ait: Romanos ægre paſſos, Brutios Populos primos totius Italiæ ad Hannibalem defeciſſe, & pulſis victiſque Pœnis, Brutios ignominiæ cauſſa nec milites ſcripſiſſe, nec pro ſociis habuiſſe, ſed Magiſtratibus, in Provinciam euntibus, parere, ac præminiſtrare, ſervorum vice, juſſiſſe . . . Quod a Brutiis eſſent, Brutianos appellatos, &c.*

Quod

Quod ſi illa, quæ Gellius ex Catonis verbis illegitime infert, vera eſſent, cur Cato ipſe non indicaſſet? Cato ſiquidem propior Gellio Hannibalis ævo, ea, quæ circa illa tempora evenerant, exactius callere debebat. Et nihilominus de hac commentitia Brutiorum pœna, quam Gellius ex ejus verbis ſibi viſus eſt intuliſſe, nec verbum quidem literis demandavit. Et quod pluris eſt, profundum de eadem ſilentium apud Polybium, apud Livium, apud Silium Italicum, & apud alios, qui accuratiori calamo res, ab Hannibale in Italia geſtas, ſcripſerunt, invenimus. Denique præfata Catonis verba, quæ Gellius narrat, Diodorus etiam Siculus refert, refert Dionyſius Alicarnaſſeus, ille lib.12. f.*626*., hic lib.11. n.10. f.1*066*.; & nec prorſus verbum, quod Gellii commentum indicet, narrationi ſuæ ſuperaddunt.

Et ut rem penitius examinemus; ſcire hîc oportet, Decemviros in Urbe fuiſſe circa U.C. annum CCC., ut Scriptores omnes Romanarum rerum communi calculo firmant. Hoc ſane tempore Brutii regiones haſce, quas modo Calabri incolunt, non habitabant. Primus Brutiorum ingreſſus in has oras fuit circa annum U.C. CCCXCVI. Conſulibus M. Pompilio Leno, & C. Menlio Imperioſo, ut ſcribunt Diodorus Siculus lib.1*6*. num.5. fol.857., & Juſtus Lypſius Polit. lib.1. f.*36*. Poſtmodum, Pyrro, Epirotarum Rege, bellante, excrevit Brutiorum gens in numerum ampliorem: quod accidit ann. CCCCLXX. Igitur, quum adhuc Brutii in regionibus hiſce non eſſent, tempore, quo Decemviri Romæ imperabant, non eſt dicendum, Decemviros fuiſſe a Brutiis verberibus affectos; ut apud Catonem Gellius legebat.

Nec quoque Decemviratus temporibus incolæ regio-

gionum harum, quas poſtmodum Brutii habitarunt; Romanorum Reipublicæ obediebant. Græci tunc temporis omnes has provincias occupabant; & quum exteri ſermonis eſſent, nullam cum iiſdem Latini commercium retinebant. Quod adeo verum eſt, ut Livius dec.1. lib.1. falſum judicaverit, quod alii pro comperto tradiderant, Numam ſcilicet Pompilium, ſecundum Romæ Regem, in ſua adoleſcentia, Pythagoræ, qui tunc apud Crotonem docebat, auditorem fuiſſe. Et hoc vel ex eo præſertim, quod Numa altera a Pythagora lingua, ſicut ex altera gente erat, & aliis moribus vivebat, alias leges obſervabat, uteretur. En Livii verba: *Inclyta juſtitia, religioque, ea tempeſtate Numæ Pompilii erat. Curibus Sabinis habitabat conſultiſſimus vir, ut in illa quiſquam ætate eſſe poterat, omnis divini atque humani juris. Authorem doctrinæ ejus, quia non extat alius, falſo Samium Pythagoram edunt: quem Servio Tullio regnante Romæ, centum poſt annos & amplius, in ultima Italiæ ora, circa Metapontum, Heracleamque, & Crotonem, juvenum æmulantium ſtudia cœtus habuiſſe conſtat. Ex quibus locis, etſi ejuſdem ætatis fuiſſet, quæ fama in Sabinos, aut quo linguæ commercio, quenquam ad cupiditatem diſcendi exciviſſet? Quove præſidio unus per tot gentes diſſonas ſermone moribuſque perveniſſet?*

Quod ſi ad veteres Brutios Adverſarii nos advocant; hos porro, dicemus, alienos omnino eſſe ab illis, quos ipſi volunt, Brutianis, a Catone dictis, ſucceſſiſſe. Nemini dubium eſt, antiquos Brutios fuiſſe Græcos, qui a Peucentinis, & ab Oenotriis, deſcenderant. Hos per totas fere Neapolitani regni provincias diſperſos, Scriptores narrant. Non ergo vetuſti Brutii fuerunt ſoli illi populi, qui has regiones noſtras anti-

quo

Digitized by Google

quo illo tempore habitabant. Et hoc quidem reſpondendum volumus, ſi Hetruſcis fragmentis adhibenda ſit fides. At monumenta iſta caducæ fidei, Eruditi pronunciant; ac proinde haud amplius in iiſdem obſervandis immorandum.

Remanet tandem ut videamus, re vera qui fuerint Brutiani illi, de quibus Cato ſcribebat. Si vere Cato ſcripſit illa; non alii Brutiani fuerunt, quam Romani, a quibus Decemviros flagellatos fuiſſe, aſſerebat. In decimaquarta Romæ regione, trans tyberim flumen, vicus erat, qui Brutianus Campus dicebatur; ut ſcribunt Panvinius de Pop. Rom. tit. de regim. fol. 249. Roſinus lib. 1. Antiquit. Rom. c. 13. fol. 23. Cur ergo de Brutianis iſtis non intelligendus eſt Cato, quando tempore illo, quo res geſta narratur, & Brutiani iſti Romæ erant, & alii, qui poſtea Brutiani dicti ſunt, in rerum natura non erant? Romanos homines Lictoris officium exercuiſſe, §. II., quum de Lictoribus ſcriberemus, diximus. Nil ergo abſurdi ex hac parte, ſi Catonis verba de Brutianis pro Romanis, vicum illum incolentibus, intelligenda eſſe dicamus.

Immo & hunc etiam fuiſſe morem apud Alexandrinos, in Philone legimus, quem Baronius ad an. 34. refert. Scilicet Alexandrinos, non ab ordinariis Lictoribus, ut Ægypti cæteri populi conſueverant, ſed ab ipſiſmet Alexandrinis flagellari, quum eos flagellis cædi oporteret. Et apud alios Scriptores legitur, nempe Gretſer. t. 1. de Cruc. lib. 1. c. 74. Beyrlinch v. *Lictores*, aliarum gentium homines, non ab ordinariis militibus, ſed a Tribunis, percuſſos eſſe, honoris ergo, quando eorum crimina id exigerent. Et apud Germanos etiam num quando nobilis vir ultimo ſupplicio eſt afficiendus, non a Carnifice, ſed ab alio nobili homine percutitur.

Hæc

Hæc omnia apud Dominicum Martyre in ſuo laudato M. S., in Minimorum Patrum bibliotheca Romani Collegii Sancti Franciſci de Paula aſſervato, leguntur.

Sed ut veritati locum demus, iiſdem libenti animo aſſentiri non valemus. Oportebat nanque Martyrem quoque oſtendere, quod tempore illo, quo Decemviri a Brutianis percuſſi dicuntur, vicus ille Urbis Brutianus campus diceretur. Quod ſi hoc nomen poſteriori ævo ſortitus eſt, nihil ad rem facit; quia non poterant tunc temporis Lictores ex nomine, quod non exſtabat, Brutiani appellari. Hoc autem Martyr non probat; immo nec probare poterat, quia non erat tunc in Mundo natio, ex qua tempore illo poterat præfatum nomen deſumi. Si enim tunc temporis Brutii in rerum natura non erant, quare Brutianorum nomen, quod a Brutiis derivatur, poterat in Romana Urbe eodem tempore audiri?

Cogitavimus nos, potuiſſe fortaſſis Campum illum Brutianum dici a Gente Bruta, in urbe nobiliſſima; cujus gentis fuit Junius ille Brutus, Romanæ libertatis aſſertor, Tarquinii ſuperbi, ultimi Romanorum regis, temporibus; & ille alter Marcus Brutus, qui, Julii Cæſaris morte, Romanam libertatem, jam labentem, procuravit, quanvis in caſſum, reſtituere. Hoc tamen a Martyre non aſſeritur; & nos abſque teſtimonio dicere non audemus. Cæterum de hoc inferius redibit ſermo; & tunc latiori quidem calamo, atque firmiori tractabitur. Et quia Brutorum gens ante Decemviros fuit, hinc non immerito ab illa potuit campus ille Brutianus dici, incolæ Campi Brutiani vocari, & Decemviri a Brutianis percuti.

Quod ſi his Legentes non acquieſcent, quid ſane di-

dicemus? Confirmabimus quidem, & ex hoc etiam, Catonis teſtimonium apocryphum eſſe. Quum enim temporibus illis Brutii in mundo non eſſent, nec pariter Brutiani in urbe erant. Et ſi non erant, non poterant a Brutianis Decemviri flagellis cædi. Quod ſi ab iiſdem Decemviri flagellati dicuntur, vel ſuppoſititium eſt Auctori non ſuo teſtimonium, vel Auctor teſtimonium protulit nec temporum rationi, nec populorum tempori, nec rei ipſius veritati, conſentaneum. Hæc ſane perpendere debebat Gellius, qui teſtimonium illud abſque examine exſcripſit: Et ſi Gellius, non hiſtorici partes agens, hoc omiſit, nuperus Scriptor Gallus, qui Critici etiam laudem aſſequi conabatur, omittere nullo jure debebat.

Præter dicta, qua etiam Chronologia Gellius commentus eſt, a Brutianis fuiſſe Decemviros flagello affectos, quia hac pœna Brutii, a quibus Brutiani deſcendebant, ob defectionem in Hannibalis partes, a Romanis mulctati fuerant; quum Decemviratus an. U. C. CCC. exordium ſumpſerit, & Hannibalis exitus de Italia an. U. C. DLI. contigerit? Prius ergo Brutiani verberabant, quam Brutii verberandi ignominia notati fuerant? Vel non fuit nova pœna, qua Brutios Romani notaverunt, ſi ante illos Brutiani, abſque eo quod hac pœna afficerentur, illuſtres etiam Viros verberabant. Nonne hæc oſtendunt, Catonis teſtimonium ſuppoſititium eſſe, & a Gellio, abſque diſcrimine temporum, abſque hiſtoriæ examine, abſque veritatis criterio, inaniter quidem, ut & audaciter, uſurpatum?

Digitized by Google

§. VIII.

Appiani Alexandrini verba juſto examine ponderata, nullam veri ſpeciem præ ſe ferre, evincuntur.

APpianus, natione Græcus, patria fuit Alexandrinus; Romæ floruit, Trajani, & Hadriani imperio, cauſſarum patronum agens. Romanam hiſtoriam ſcribere adorſus, eam per libros vigintiquatuor complexus eſt. *Ex vaſto opere*, ait Blount, *ſuperſunt hodie Punica, Syriaca, Parthica, Mithidratica, Iberica, Hannibalica, Illyrica; de bellis civilibus libri quinque, & Celticorum fragmentum, vel compendium*. Adducimus modo Scriptorum celebriorum de ejus opere judicia. Scaliger in animadverſionibus Euſebianis inquit: *Appianum vel admodum in hiſtoria eſſe infantem, vel multa ejus Syriacis eſſe adſuta*. Et alibi in eodem opere eum vocat *alienorum laborum fucum*. Voſſius de art. hiſtor. c.20. ſcribit: *Nec prætereundus nobis Appianus Alexandrinus, alienorum quidem ille laborum fucus, ut merito a magno viro appellatur, ſed Scriptor utilis tamen, præſertim poſt deperditos non paucos eorum, quos exſcribere ſolet*. Sigonius de hiſt. Rom. c.15. ait: *Multis in rebus levis, multa etiam omittit; ſed diligenter legendus, quod pleraque ex hiſtoriis his accepit, quæ perierunt.* Et ut alios omittamus, hæc de eo ſcripta reliquit Joannes Bodinus meth. hiſt. c. 4. f. 63. *Non Appiano de Romanis ſcribenti ubique aſſentior, cum in eorum antiquitate ſæpiſſime offendat*.

Qualis ergo, & quantæ fidei, cenſendus eſt Appianus, Brutios, fidenter ſcribens, in Hannibalis amicitia,

citia, uſque ad belli exitum, permanſiſſe? Sane, ut vidimus, non amor, ſed metus, ad Hannibalis partes Brutiorum urbes impulerat; & belli variantibus eventibus, modo ab illo diſcedere, modo ad illum accedere, videbantur. Proinde Brutiorum erat Pœno ſuſpecta fides, & amicitia non probata; præſertim quum videret, non omnes Brutiorum populos ſigna ſua recepiſſe, ſed alii erant plures, qui Romanorum fidei conſtantiſſime adhærebant.

Hinc fuit, quod Hannibal, Africam petens, magnam Brutiorum multitudinem ſecum habere voluit; illos, qui eum comitari noluerunt, occidi juſſit; illorumque fidem, qui ſecum in Africa militabant, in ſuſpicione ſemper habuit. Livium conſulamus dec. 3. lib. 10. qui ita ſcribit: *Itaque inutili militum turba præſidii ſpecie in oppida Brutii agri, quæ pauca magis metu, quam fide, continebantur, dimiſſa, quod roboris in exercitu erat, in Africam tranſvexit: multis italici generis, quia in Africam ſecuturos abnuentes, conceſſerant in Junonis Laciniæ delubrum, inviolatum ad eam diem, in templo ipſo fœde interfectis.*

Verum adhuc Hannibale in Italia commorante, ex eodem Livio, præfato loco, intelligimus, & ſuperius etiam ſcripſimus, multas Brutiorum urbes ſigna ſua reliquiſſe, ut Romanorum vexilla ſequerentur. *Ad Cn. Servilium, Conſulem, qui in Brutiis erat, Conſentia, Uffugum, Vergæ, Beſidiæ, Hetriculum, Sypheum, Argentanum, Dampetia, multique alii ignobiles populi, ſeneſcere punicum bellum cernentes, defecere.* Non ergo uſque ad belli exitum Brutii in Hannibalis amicitia permanſerunt, ſi adhuc Hannibale in eorum provinciis ſuperſtite, ab ipſo defecerunt. Et quanvis afferat Livius, id tunc contigiſſe, quando punicum bellum ſeneſce-

ſcebat; non per hoc licet inferre, id tunc eveniſſe, quando jam bellum erat abſolutum; quia aliter, uſque ad belli exitum, & non, bello ſeneſcente, ſcripſiſſet; ut ſuperius quoque obſervavimus.

Et eo magis hoc verum cuique probatur, quod poſt præfatarum urbium ab Hannibale defectionem, ab eodem Livio dicitur, Romanum Conſulem cum Hannibale in Crotonenſi agro pugnaſſe. *Idem Conſul cum Hannibale in agro Crotonenſi acie conflixit*; quæ ſtatim verba ſuperioribus adjunguntur. Non ergo bellum erat abſolutum, non extinctum, ſed tantummodo ſeneſcebat; & quum ſeneſceret, adhuc in Pœno vires erant, quibus Romano Conſuli reſiſteret. Et nihilominus Brutii, jam Romanis adhærentes, Pœno non faverunt, ſed cum illo pro Romanis conſtanter pugnarunt.

Nec opponuntur nobis, quæ ex eodem Livio decad.3.lib.3. deſumi poſſe videntur; Brutios ſcilicet omnes, ſolis Petellinis exceptis, a Romanis ad Hannibalem defeciſſe: *Eodem tempore Petellinos, qui uni ex Brutiis manſerant in amicitia Romana, non Carthaginienſes modo, qui regionem obtinebant, ſed Brutii quòque cæteri, ob ſeparata ab ſe conſilia, oppugnabant.* Hæc enim per exagerationem ſcripta ſunt, quia in eodem libro, poſt recenſita verba, idem Livius addit: *Recepta Petellia, Pœnus ad Conſentiam copias traducit, quam minus pertinaciter defenſam, intra paucos dies in deditionem accepit.* Conſentia autem Brutiorum urbs erat nobiliſſima, immo inter Brutiorum urbes facile princeps.

Poſt Conſentiam, eodem Livio teſte, citato jam loco, Crotonenſes, Locrenſes, Rhegini, Vibonenſes, Thurii, Mamertini, pluriumque aliarum urbium populi,

puli, quum Græci, tum Brutii, bellorum violentia coacti, Pœnis ſe dederunt. At in Hiſpania, Sicilia, & tota fere Italia, quot alii populi, quot urbes, quot gentes, Hannibalem ſequebantur? Et nihiloſecius de regionibus illis nihil male actum dicitur, nulla irrogata pœna fabulatur, nulla commentitia injuria aſſeritur, nullum horrendum facinus proclamatur; quemadmodum contra Brutios fieri, juſti rerum æſtimatores, & non conviciandi libidine æſtuantes, jure merito indignantur.

De ſola Herina, ait Strabo lib.6. apud Marafioti, lib.3. c.25. f.222., quod quum eam Hannibal vi occupaſſet, eam tamen in ſua fide retinere deſperavit; ac proinde vix ceptam, ſolo æquavit. *Huic (Temeſæ) proxima Herina eſt, quam quum Hannibal tutari poſſe deſperaret, ſolo æquavit.* Non abſimile accidiſſe ſcribitur Pandoſiæ, aliiſque Brutiorum urbibus. Et hoc ne alteram ob cauſſam, quam ob urbium illarum erga Romanam Rempublicam fidem, quam, etiam vitæ, perdere renuebant? Oſtendant Adverſarii in aliarum provinciarum populis æqualem amorem, & parem fidem.

Et ob hanc fidem, & amorem, quot & quanta paſſi ſunt Brutii a Pœnorum ira, & armis? In fragmentis quibuſdam hæc verba leguntur, quæ a Dominico Martyre, in ſuo alias laudato opere, recitantur: *Lucani, & Brutii, propter prælia, & incurſiones tam Romanorum, quam Carthaginienſium, pene conſumpti ſunt, & præcipue Temeſani, Crotonenſes, & Herinenſes.* Et hoc ſane, quia vix quum iiſdem liberum eſſet, illico ad Romanorum amicitiam, & ſocietatem, redibant. Quapropter apud Appianum etiam hunc, cum quo hîc nobis res eſt, leguntur verba, quæ a Dominico Mar-

Martyre referuntur: *Sub idem tempus Craſsus Conſentiam, magnam urbem Brutiorum, atque aliquot oppida, ab Hannibale abſtraxit.*

Videant Legentes, ſi Appianus ſatis ſibi conſtet, quando aſſerit, Brutiorum urbes, uſque ad belli exitum, Hannibali adhæſiſſe. Et ſi aliqua parva oppida, vel etiam urbes, adhæſiſſent, quid mirum, quando Hannibal, Italiam fugiens, regiones illas ultimo loco reliquit, quum ille ultimæ fuerint, per quas ab Italia exivit? Abſentia teterrimi hoſtis liberaverat quidem regiones alias, in longinquo poſitas, terrore illo, quo illo præſente tenebantur. At ejuſdem præſentia ſemper terruit Brutios, quouſque pedem extra Italiam admoveret. Et nihilominus, ipſo etiam ſpectante, Brutiorum urbes ab ipſo defecerunt; ut Livius aſſerit, & Appianus ipſe teſtatur; quæ quomodo ſtare poſſint cum Appiani teſtimonio, quo dicitur Brutios, uſque ad belli exitum, Hannibali adhæſiſſe, Legentes videant, & judicent.

De aliis Brutiorum urbibus, a Livio ſcimus, loco ſuperius citato, quod ad Romani populi fidem poſt annum redierunt: *Eodem tempore in Brutiis ex duodecim populis, qui anno priore ad Pœnos deſciverant, Conſentini, & Turini, in fidem Populi Romani redierunt.* Obſervare hîc primum non ſit inane, Brutiorum primarias urbes, non amplius, quam unius anni ſpatio, ſub Hannibale fuiſſe; *qui anno priore, ait Livius, ad Pœnos deſciverant*: Qua ergo veri ſaltem ſimilitudine Appianus, eas uſque ad belli finem, permanſiſse, commentus eſt? Appianus igitur non ſolum Livio, ſed ſibi etiam oppoſitus probatur; quum aſserat, Conſentiam, Magnam Brutiorum Urbem, & ejus exemplo oppida plura, ad Romanos rediiſſe; & immemor alibi dicat,

Bru-

Brutios, uſque ad belli exitum, Hannibali adhæſiſſe. Si hoc non eſt antilogiam ſcribere, erit certe palinodiam canere. Quum ergo Appianus, parum aut nihil ſibi conſtans, vel ea ſcribat, quæ poſtmodum volens nolens retractat; vel ea retractet, quæ primitus inconſiderate ſcripſerat; merito a Sigonio notatur, *multis in rebus levis*; ut dictum eſt; & a Joanne Bodino dicitur: *Non Appiano, de Romanis ſcribenti, ubique aſsentior, cum in eorum antiquitate ſæpiſſime offendat*.

Apage proinde putida fabella, quam de Conſentia caducæ fidei homines ineptiſſime excogitarunt; eam ſcilicet, urbem inter Brutios præclariſſimam, illo nomine fuiſſe dictam, quia ex communi civium conſenſu Hannibali ſe tradidit; ut apud Martyre, Marafioti, alioſque, ſcriptum legimus. Etenim a principio Bretiam dictam volunt a Bretio, Herculis filio, a quo ædificatam dicunt; quanvis alii antiquiorem ei originem adſcribant, aſſerentes, ab Auſoniis, & ab Oenotriis, primitus fuiſſe, ſub alio nomine, ædificatam. Auctam poſtmodum aſſerunt a Lucanis, a quibus Conſentiæ nomen accepit; quatenus, communi omnium illorum conſenſu, ibi ſuum figere domicilium conſtituerunt.

Audiantur Scriptores, & præ cæteris Tideus Acciarini, in annot., apud Flore, *in Conſentia*: *Brettius, Herculis filius, ex Baletia puella, Brettiam condidit; Urbem, a qua omnes populi a Leo fluvio uſque ad flumen Alvem, dicti ſunt Brettii*. Alciatus in numiſmat., apud eumdem Flore: *Brettius, quem e Baletia Nympha Hercules generavit, Brettiam civitatem condidit, a qua omnes populi, uſque ad fretum Siculum, dicti ſunt Brettii*. Stephanus de urbibus, apud eundem: *Brettium urbs*

Bret-

Brettiorum Tyrrenorum a Brettio, filio Herculis, ex Baletia puella, Baleti filia, conditum. Hæc de priori nomine.

De poſteriori autem idem Acciarinus ſubdit: *Deinde cum quingenti juvenes Lucani, Duce Herennio Pulvillo, a parentibus defeciſſent, ac novas ſedes quærere inſtituiſſent, ibique, hoſpitio recepti, conſederunt; Brettiam autem urbem a Conſentia puella Conſentiam tranſnominant.* Et Alciatus, nuper laudatus; *inde a Conſentia Nympha, Conſentia dicta eſt.* Conveniunt quidem in nomine, ſed in nominis cauſſa errant. Clarius rem explicavit Dominicus Surrenti, in M.S. de rebus Calabris, quod a Flore laudatur. Hic enim Juſtini lib.23. verba perpendens, *Authores quoque ſuos, Lucanos, bello vicerunt*; hæc addit: *de Conſentia intelligens, uno concurſu, & Paſtorum conſenſu, extructa; nam prius caſtellum erat.* Numiſmata plurima apud Flore, alioſque, inveniuntur, in quibus Brettiæ nomen legitur. Et quum numiſmata non pauca ſtatuas referant, a Conſentinis hominibus Romanis Conſulibus erectas, poſt Hannibalis exitum ab Italia; eadem profecto nobis argumento ſunt, quod Romana Reſpublica non pœnis, ſed beneficiis, Brutios proſequebatur, ſi iidem gratitudinis monumenta Romanis Conſulibus erigebant. Falſum ergo, quod de Conſentiæ nomine, non quidem Scriptores, ſed fabulatores potius, pro mentis arbitrio loquentes, literis, aut vocibus, conſignare non erubuerunt.

§.IX.

§. IX.

Feſti Pompeji, Strabonis, & Diodori Siculi, dicta, in hac re ſi quæ ſunt, quanti ſint roboris, pro rei veritate inveſtigatur.

VEteres Scriptores hoſce nuperus Scriptor Gallus, Jacobus Hyacinthus Serry, laudat, quanvis eorum teſtimonia non referat. Sunt ejus verba: *Ex Feſto Pompejo, in verb. Bruttiani; ex Strabone lib.6., ex Diodoro Siculo.* Eoſdem Baronius recenſens, inquit: *Miniſtros vero, qui ad has inferendas pœnas Præſidibus miniſtrabant, fuiſſe Brutios, tradit Feſtus Pompejus in verb. Brutiani, & Aulus Gellius lib.10. c.3., qui prædictos in pœnam, quod a Romanis ad Hannibalem defeciſſent, hac ignominia notatos, ut Magiſtratibus in provincias euntibus parerent, & ad infligenda ſupplicia delinquentibus, ſuam operam exhiberent. Picentes vero, quod ad eundem deſciviſſent, Romana Civitate privatos, loco militiæ, curſores, ac tabellarios, eſſe, eoque munere reipublicæ inſervire damnatos, auctor eſt Strabo, lib.5. in fin.*

Solos Gellium, & Feſtum, Baronius laudat, pro illo, quod Brutios reſpicit. Strabonem nihil tale de Brutiis, ſed de Picentinis, ſcribentem adducit; Diodorum nec nominat. Donatus Calvus in ſuo proprinomio euangelico reſ.71. Gellium profert lib.10.c.3.& lib.15., & Feſtum Pompejum, verb. Brutiani; & non alios ex antiquis Scriptoribus. Pitiſcus in Lexico, verb. Bru-

tiani, Gellium citat lib. 10. c.3., Feſtum, & nullum alterum ex veteribus.

Operæ modo pretium eſt tres hoſce veteres Scriptores convenire, eorumque dicta, quanti ſint roboris, pro rei veritate examinare. Feſtus Pompejus, in ſuo Dictionario, ad verbum *Brutiani*, hæc ſcribit: *Brutiani dicebantur, qui officia ſervilia Magiſtratibus præſtabant; eo quod hi primum ſe Hannibali tradiderunt, & cum eo perſeveraverunt uſque dum recederet ab Italia*. Complectitur ergo Feſtus calumnias ambas contra Brutios objectas, & quod primi ad Hannibalem ſe dederint, & quod ultimi ab Hannibale receſſerint. Primam rejecimus contra Gellium luculentis apertiſque vetuſtiorum Auctorum, & præcipue Titi Livii, teſtimoniis; alteram vero contra Appianum ex eodem Livio, aliiſque, omnimode profligavimus.

Ultra tamen illa, quæ ibi ſunt dicta, hæc contra Feſtum addere viſa ſunt nobis, nec incongrua, nec importuna. Brutiani nomen a Brutiis derivatum omnes quidem norunt; ſed quanam ratione poſtmodum Brutiani & Brutii debeant omnino confundi, abſque eo quod ullum diſcrimen inter adjectivum & ſubſtantivum ponatur, non omnes profecto intelligunt. Calepinus utique diſtinguit, quum vocem unam ab altera afferat derivatam: *Brutiani a Romanis dicebantur, qui officia ſervilia Magiſtratibus præſtabant, nomine tracto a Brutiis &c.*

Brutiani ergo vocem derivatam important, quæ quidem eſt vox, ut Grammatici loquuntur, adjectiva; & in hoc nos libenti animo convenimus. Negamus tamen, quod ſit vox a Brutiis derivata, & quod illius ſubſtantivum, ſecundum Grammaticæ leges, vox alte-

altera Brutii cenſenda ſit. Ad illos ſuadendos, qui Catonis teſtimonium genuinum volunt, hoc utimur argumento. Quonam pacto Brutiani potuerunt eſſe a Brutiis derivati, quando prius Brutiani, quam Brutii nomen, fuit per hominum ora, & per ſcribentium calamos, divulgatum? Quando Cato ſcribebat a Brutianis fuiſſe Decemviros percuſſos, diximus ſuperius, non adhuc Brutios in mundo apparuiſſe. Brutiani ergo erant, Brutii non erant; non igitur Brutiani fuerunt a Brutiis derivati.

Iis vero, qui Catonis teſtimonium ſpurium agnoſcunt, dicimus, quod ſi Brutianorum munus erat ſontes flagellis cædere, & Brutii nunquam fuerunt hac pœna a Romanis mulctati, ut uſque modo probavimus; non ergo a Brutiis, ſecundum hanc rationem, potuerunt dici Brutiani derivati. Aliam proinde opus eſt, ut inquiramus radicem, ex qua vox iſta promanet; & quidem ſuperius innuimus ex Dominico Martyre, à Brutiano Campo, in decimaquarta regione Urbis, trans Tyberim flumen, proveniſſe. Et quum nobis opponeremus, non ſatis conſtare, quo tempore campus ille Brutianus Romæ fuerit; nobis ipſis reſpondimus, Brutianum a Gente Bruta fuiſſe dictum, proindeque fuiſſe Romæ tempore, quo ibidem Gens Bruta florebat.

Ut autem hæc fortius firmentur, & facilius admittantur, ſcire oportet, Gentem Brutam, Romæ nobiliſſimam, originem ſuam a L. Junio Bruto traxiſſe; qui ante tantum L. Junius appellatus, poſt cædem deinde Tarquinii ſuperbi, Bruti nomen accepit, & toti ſuæ poſteritati reliquit. Legimus proinde apud Fulvium Urſinum, in familiis Romanis, quæ in antiquis numiſmatibus reperiuntur, ad familiam Juniam, hæc

verba : *Juniæ gentis cum multæ a Scriptoribus familiæ nominentur, Brutorum tantum, & Silanorum, in denariis reperiuntur. Brutorum autem familiam duplicem fuiſſe, patriciam unam, ex qua L.Brutus, qui reges ejecit, ortus ſit; alteram plebejam multiplicem &c.* Si quæ ſunt in hac familia, quæ a Scriptoribus controvertuntur, ad rem noſtram non faciunt; nobis ſatis eſt, quod ex iſta gente Campus Brutianus, qui prope ejuſdem fortaſſis ædes erat, fuerit denominatus; & a campo deinde Brutiani dicti fuerint homines, qui ibidem habitabant, quique officium exercebant, ſontes flagellis cædere, & Lictorum munus obire.

Ex vocum poſtea ſimilitudine factum eſt, ut Brutiis tribuerent in pœnam, quod Brutiani ex officio exercebant. Quod quidem quam inepte ſit factum, illi ſolum ignorant, qui de rebus ad vocum ſonitum, non ad rerum ſignificationem, diſcurrunt. Pitiſcus vero, ad verbum *Bruttiani*, ex ſuo tantum hæc dicit: *Bruttiani Magiſtratibus, peregre proficiſcentibus, atque in provinciis agentibus, quondam apparebant*; fabellam deinde ex Brutiis petitam, non de ſuo, ſed de Gellii penu ſubjungens. Et ad verbum *Bruttii*, nihil hujuſcemodi ſubnectens, illa ſolum differit, quæ Brutiorum originem, regiones, & laudes etiam, reſpiciunt.

Et re vera, quum Brutianos iſtos dixerimus Romanos fuiſſe, non tantum dicta non opponuntur, ſed conſonant iis, quæ de Lictoribus, Tortoribus, & Carnificibus, ſuperius enarravimus. Ibi enim videre licet, hujuſmodi munera ut plurimum Romanos exercuiſſe, aliquando liberos, & aliquando libertos, & quandoque etiam ſervos, aliarum gentium homines. Servos autem ex Brutiis non fuiſſe obſervamus in ſervorum catalogo, quem Laurentius Pignorius, Patavinus, in ſuo

ſuo de Servis libro, contexit. Ibi enim ſervorum nationes recenſens, Alexandrinos numerat, Aſiaticos, Phryges, Lycios, Syros, Medos, Mæſios, Gallos, Bithynos, Cappadoces, Liburnos, Corſos, Sardos, Britanos; Brutios autem non ponit. Quum ergo Brutii, nec ut Servi, nec ut Romanorum deſertores, officia illa exercerent, quæ ſane exercebant Galli, & Germani, ut ſuperius diximus, & inferius latiori calamo dicemus; clarum eſt, Brutianos, quorum hujuſmodi munus erat, a Brutiis nomen ſuum non derivaſſe, ac proinde nec pœnam, quæ commentitia probata eſt, nec officium, quod inane prorſus, ac falſum, uſque modo oſtenſum fuit.

Ad Strabonem deſcendimus. Strabo, ait Blount, in celebriorum Authorum Cenſura, natus eſt Amaſiæ, Civitate Ponti; Philoſophus fuit Stoicus, & Geographus præſtantiſſimus. Scripſit decem & ſeptem Geographiæ libros, qui hodie etiamnum exſtant. Circa annum duodecimum imperii Tiberii Cæſaris, in extrema ſenectute, vivere deſiit. A Scriptoribus omnibus, & vetuſtis, & recentibus, commendatur; unde Lypſius, in manuduct. ad Stoicam Philoſophiam lib. 1. diſſert. 17., ſcribit: *Strabo Geographus, inſignis judicii & prudentiæ vir*; Rhodiginus l. 21. lect. antiq. c. 25. ait: *Strabo non Hiſtoricus modo inſignis, ſed Philoſophus quoque, & Mathematicus, adeo celebris, & pervulgati nominis, ut eum Theſſalonicenſis Euſtathius per quandam exochen Geographi nomine perſæpe ſignificet*; Et Voſſius, ut alios mittamus, de Philologia, f. 56., inquit: *Satis prædicari nequit doctrina & induſtria Strabonis Amaſeni, Scriptoris graviſſimi*.

Strabo ergo ad rem, de qua ſcribimus, hæc evulgavit, quæ a Baronio, aliiſque, referuntur. Libro ſcilicet

licet 5. Geographiæ, in fin.de Picentibus loquens, eorumque pœna, qua a Romanis mulctati fuerant: *Picentes autem uſque Silarim perveniunt flumen, quod ab hoc agro veterem ſeparat Campaniam; Cui quidem fluvio proprium illud ineſſe traditur; ut in ejus aqua demiſſa virgulta ſaxificentur; forma tamen, coloreque ſervato. Picentum vero metropolis erat Picentia. Nunc vero per vicos vitam agunt, a Romanis expulſi, propter initam cum Hannibale ſocietatem. Quo quidem tempore pro militari officio, ut Viatoris publici, aut Tabellarii, operam explerent, aſſignati ſunt. Quemadmodum & Lucani, & Brutii, eaſdem ob cauſſas.*

Non ſolos Brutios ad Hannibalem defeciſſe, ſcribit, ſed Picentes etiam, atque Lucanos. Nec pœnæ illius meminit, quam alii commenti ſunt. Non Lictores, non Tortores, non Carnifices, vult fuiſſe, ſed Viatores tantum publicos, & Tabellarios. Verum quum ipſe poſteriori ævo ſcripſerit, ea exaravit quæ fortaſſis apud alios legerat, non quæ propriis oculis uſurpabat. Præſertim dicens, pœnâ illâ Picentes, tempore illo, fuiſſe affectos; quod ſane indicium eſt, temporibus ſuis, pœnam illam non viguiſſe, nec perſeveraſſe.

Pro eo vero, quod dicitur, Brutios a Romanis defeciſſe ad Hannibalem, nec addit fuiſſe primos, nec ultimos, qui ab Hannibalis ſocietate ad Romanos redirent; quod nos in ſuperioribus contra Gellium, & contra Appianum, oppugnavimus. Modum, rationes, violentias, quibus defecerunt, vidimus etiam ſupra: ex quibus fieri nequit, ut ſingulari pœna illa ſoli Picentes, Lucani, & Brutii, afficerentur; quando fere omnes Italiæ populi, ſimili quoque defectione, notati ſunt. Denique mox oſtendemus, Brutios militari offi-

officio haud quaquam fuiſſe privatos; unde & ex hac parte, pœnam, qua Picentes aſſerit fuiſſe notatos, perſpicuum fiet, Brutios non maculaſſe.

Diodorus tandem Siculus hiſtoricus fuit celeberrimus, temporibus Julii Cæſaris, & Octaviani Auguſti. Argyrium Siciliæ natale ſolum illi præbuit; totam fere Aſiam, atque Europam, peragravit, ut Bibliothecam Hiſtoricam exactius exararet. Scripſit in illa de rebus Ægyptiis, Aſſyriis, Medicis, Perſicis, Græcis, Romanis, Punicis, atque aliis. Clariſſimus Vir, Antonius Mungitore, Canonicus Panormita, de re literaria optime meritus, quem nos ut multum admiramur, ob omnigenam ſuam eruditionem, ita & impenſe obſervamus, ob peculiarem erga nos amicitiam; in ſua Bibliotheca Sicula, ſeu de Scriptoribus Siculis, ſatis diffuſo calamo, critico, & erudito, de Diodoro ſcribit.

Verum de re, de qua agimus, nec verbum apud Diodorum quiſquam invenit; unde miramur valde, nuperum Scriptorem Gallum laudaſſe illum, abſque eo quod apud antiquiores Scribentes laudatum invenerit, & abſque eo etiam, quod locum, in qua illa ſcripſiſſet, indicaret. Sane Baronius nec verbum de eo facit, Calvus illum ſilentio præterit, aliique recentiores illum nec quidem nominant. Quod ſi memoriæ lapſus extitit, ut facillime judicamus, amplius circa illum nos volvere, ſuperfluum ducimus.

Multa ſunt inſuper, quæ Diodoro attribuuntur, & quæ vere ſuppoſititia eſſe probantur; ut apud laudatum Mungitore ſatis exacte diſcutitur. Multis etiam Diodorum carpit Rhodiginus, pluribuſque Vives; ſed ab omnibus eum defendit Mungitore; adducitque Juſtinum Martyrem, qui illum Hiſtoricorum omnium præcla-

Digitized by Google

clariſſimum vocat, atque illuſtriſſimum; atque etiam Euſebium, qui virum illuſtrem laudans, ipſum quoque ſæpe cum honore citat; quos omnes pariter Blount, ad Diodori commendationem, retulerat. Teſtimonium, quod nuperus Scriptor Gallus de Diodoro profert, vel potius teſtem, non teſtimonium, aut in libris illis, quos deperditos lugemus, aut in apocryphis aliis, quos nullius roboris ducimus, fortaſſis fuiſſe, exiſtimamus.

§. X.

Ambroſio Calepino, aliiſque, ſive veteribus, ſive recentioribus, de re noſtra ſcribentibus, quæ fides, & quæ auctoritas, tribuenda, oſtenditur.

AMbroſius Calepinus, notiſſimus Scriptor, quem non tantum opera, quæ omnium manibus teruntur, apprime laudant, verum quoque latiſſime commendant, & linguæ hominum, quas erudit, & voces rerum, quas illuſtrat; Brutiæ tamen genti noſtræ parum aut nihil ſe gratioſum eſſe probavit. Neſcimus, an ex ingenio ſuo ſcripſerit, an ex aliorum invidia, atque livore; hoc tamen nobis certiſſime conſtat, & ea objectaſſe contribulibus noſtris, quæ olim vulgi ore opponebantur, & illa etiam, quæ uſque tunc nullus hominum commentus fuerat. Et nomen fœdat, & gentem dehoneſtat; itaut parum illi fuiſſet homines ex moribus offendere, ſi ex vocabulis etiam non læſiſſet. Convicia pro conviciis non reddimus; etſi poſſemus homini Bergomenſi, quæ in Brutios homines acuit,

Digitized by Google

acuit, retorquere. Nos vero rationes magni facimus, non verba; factis, non nominibus, animum applicamus: & quæ contra nos diriguntur, nitimur juſtitia expellere; abſque eo quod alios, ſive juſte, ſive injuria, propulſemus.

Calepinus itaque ad verbum *Brutii*, hæc ſcribit: *Brutii, m.2. Abruzzeſi*: Βρέττιοι *Italiæ populi in eo tractu, qui hodie Calabria dicitur, poſt Laum fluvium incipientes, & fretum Siculum in modum peninſulæ procurrentes: Dicti quaſi bruti, & obſcæni. Fuerunt enim Brutii ſervi & paſtores Lucanorum, qui inde aufugere, & furtim in regione conſederunt, ubi Conſentia eſt. Hæc regio, teſte Strabone lib.6. Oenotria quondam dicta fuit*. Paulo autem ante, ad verbum *Brutiani*, ſcripſerat: *Brutiani, m.2., a Romanis dicebantur, qui officia ſervilia Magiſtratibus præſtabant, nomine tracto a Brutiis, qui quod primi Hannibali adhæſiſſent, & cum eo perſeveraſſent, donec ex Italia diſcederet, hac ignominia a Romanis notati ſunt, ut viliſſima quæque munia per illos obirent*.

Errat primo celebris Auctor, quod quos latine *Brutios* vocat, italice *Abruzzeſi* fidenter appellet. Non Brutii, ſed Samnites olim, qui modo Aprutini ſunt, dicebantur. Ipſemet Calepinus, ad verbum *Samnites*, fatetur: *Samnites, p.p. m.3.* σαμνῖται, *populi in Samnio, quod nunc Aprutium vocamus; quæ regio eſt Italiæ inter Picenum, Campaniam, & Apuliam*. Errat ſecundo, quum græce ſcribat *Brentii*, & deinde latine legat *Brutii*; re vera Brentii, ſeu Bretii primitus, qui poſtea, corrupto vocabulo, Brutii ſunt dicti, nominabantur; ut mox diffuſe ſcribemus. Errat tertio, quod vocem *Brutii* a Brutis animalibus derivare velit; at in hoc non eſt error ſolus, verum quoque calumnia.

Digitized by Google

Errat denique quarto, quod obſcœnitatem in nomine illo comprehendi audacter adfirmet; & in hoc error eſt ſimul, calumnia, & inſolentia.

Brutus apud Pitiſcum ſtultum ſignificat,qui Dionyſium citat, aliosque, de L Bruto ſcribentes, qui Reges ejecit: *Ex induſtria factus ad imitationem ſtultitiæ, Bruti quoque haud abnuit cognomen*; Liv. 1. 56. Dionyſ. IV. p.263. Ovid. Faſt. II. 719.

Brutus erat ſtulti ſapiens imitator, ut eſſet
Tutus ab inſidiis, dire Superbe, tuis.

Elias de Amato, eruditiſſimus Carmelita, in ſacris & profanis literis optime excultus, Conterraneus & Amicus noſter, in ſua Pantopologia Calabra, circa medium Prodromi, hæc ſcribit: *Exiſtimo ſane Brutios a Romanis dictos, non quidem, ut Calepinus ſomniavit, quaſi bruti & obſcœni, verum a græca voce* brutos, *quam a fortitudine, animique ſtrenuitate, forte Brutii accepere*. Ejuſdem ſententiæ fuere Anania, Flore, aliique Scriptores noſtri.

Cluverius, Ital. lib.4. c.15., aſſerit, populos hoſce noſtros a Græcis Brettios, a Romanis tamen Brutios, fuiſſe dictos. *Vera vocabuli formatio magis genuina fuerit gentis appellatio Romana, an Græca, equidem haud facile dixerim. At id ſcio, mihi minime convenire, peritiorem ea in re me velle eſſe ipſis Romanis, qui certe non per imperitiam, ſed certa ratione, Brutii maluerunt dicere, quam Bretii*. Quænam autem fuerit certa illa ratio, ſoli ſibi nota remanſit, cunctis autem eſt incognita. Certe ſi numiſmata ſpectemus, ſi ſigna, Bretii, & non Brutii, occurrent. Si vetuſtiores Auctores perluſtrabimus, Ariſtophanem ſcilicet, Stephanum, Dionyſium Afrum, ac Strabonem in originali, Bretios, & non Brutios, inveniemus. Si recentes legimus,

Bar-

Barrium, Maraſioti, Flore, Ananiam, Pugliſium, de Amato, nec etiam Brutios, ſed Bretios, obſervamus.

Quod fuerint duplici nomine appellati, Bretii ſcilicet, & Brutii, aſſerit Flore; & illa quidem, ſubdit, temporum diverſitate, atque diſtantia, ut fuerint veteres Bretii, vel Brutii, & recentiores quoque ſucceſſerint veteribus. Illi poſt Auſonios, & Oenotros, a Brento, ſeu Brentio, Herculis filio, appellati, qui Conſentiam condiderunt · Iſti vero a Lucanis, qui Conſentiam habitarunt, & Brutii ſunt nominati. Cæterum ſi a nominibus volumus gentem noſtram commendare, unum nobis ſufficiet argumentum, quo oſtendemus, Italiæ nomen ab hiſce populis noſtris fuiſſe in univerſas Italiæ regiones derivatum. En Pitiſci verba: *Nec dubium eſt, quin Italiæ nomen a Bruttiis ad proximos Lucanos tranſierit, & ab iis ad Picentinos, tum ad Campanos, inde item ad Latinos: ubi tanquam domi ſuæ, aliis ſedibus relictis, remanſerit. Ferrar. de orig. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. tom.* 1. *par.* 3. *D.* 127. *C.*

Quid ergo Calepinus a vocum, ſeu nominum, fœditate, ſi quæ illis ineſſet, nos dehoneſtat, qui nominibus gloriamur, a quibus præclariores orbis provinciæ honeſtantur? Cur etymologias comminiſcitur, rerum ſignificationibus non conſentaneas, immo nec verborum vocibus aptas, ut liberius poſſit commentis ſuis nos infeſtare? Quod nos ingenue fatemur, hoc eſt: populos noſtros, Italos, Auſonios, Oenotros, Bretios, fuiſſe dictos; & horum nominum ſcimus originem, atque principium. Fuiſſe quoque Brutios dictos, ut nos etiam dicimus, ne ab aliis, qui ita ſcribunt, diſcedere videamur; at quando hoc cœperit nomen uſurpari, cur mutatum, & inventum, a quo acce-

ptum, & diffuſum, pro rei veritate neſcimus. Probri loco nequit eſſe, quum in bonam poſſit accipi partem, & in malam; & ulterius lateat cuique, quam ob cauſſam, an laudis, an contumeliæ fuerit a principio uſurpatum.

Quæ autem de Brutianis aſſerit Calepinus, eadem ſunt, ac prorſus immutata, cum illis, quæ Feſtus Pompejus enarravit. Iiſdem proinde rationibus refelluntur, quibus Pompeji dicta confutavimus. Quibus etiam occurritur aliis Calepini verbis, quæ in auctiori exemplari reperiuntur; ſcilicet ad verbum *Brutii*, poſt illa, *ubi Conſentia eſt*, additur: *Quæ fuit eorum metropolis, quam Regionem prius Auſones habitabant. Hi multo poſt tempore, & ab Hannibale, & a Romanis, propter eorum perfidiam, plane deleti fuere, ſine dignitate, ſine honore, ad ſervilia opera ſemper coacti*. Quam veri ſpeciem præſeferant hæc verba, non ſolum quæ huc uſque ſcripſimus, oſtendunt manifeſte; verum quoque demonſtrabunt evidentius, quæ mox ſcribemus. Interim Scriptores alios percurramus.

A Pitiſco recenſentur, qui ſequuntur; Alexander ab Alexandro, gen. dier. 6. 22. Sigonius de antiq. jur. Civ. Roman. 11. 15. Polletus For. Roman. 5. 13. Rhodiginus ant. lect. 25. 19. Crinitus hon. diſc. 11. 7. Popm. de Oper. Serv. p. 10. Oizel. in Gell. noct. attic. 10. 3. Borrich. ant. urb. fac. c. 11. §. 4. Et præter hoſce habemus Joſephum Laurentium Lucenſem, in ſua Amalthea Onomaſtica, ad verbum *Brutiarii*, ubi hæc ſcribit: *Brutiarii coacti ſervitia agere*, *Brutiani*, *Lorarii*, *Miniſtri Romanorum in Provinciis*.

Verum quia hi omnes exſcribunt, non ſcribunt; ideo eſſet actum agere, ſi illos denuo confutare vellemus, poſt ſemel & iterum confutatos eos, a quibus exſcri-

exſcripſerunt. Ulterius igitur haud hîc immorandum, ſed ad alia pergendum, quibus & dicta fortius confirmentur, & dicenda illuſtrentur evidentius.

§. XI.

Poſt Punicum Bellum Brutiorum Urbes a Romana Republica Coloniarum, Municipiorum, & fœderatarum Civitatum, honore exornatæ.

SI adeo inviſi Romanorum Reipublicæ, quod ab ipſis ad Hannibalem defeciſſent, Brutii fuerunt, ut ab iiſdem Romanæ Civitatis honore privarentur; conſonum pariter erat, ut Brutiorum urbes a Romana munificentia honores illos non haberent, quibus aliarum gentium civitates ornabantur. Æqualis hoc pacto pœna fuiſſet perſonis & locis; quum culpa nec perſonas ſolas, nec ſola loca fœdaſſet. At nihiloſecius contrarium experimur; quum Brutiorum urbes Colonias, Municipia, fœderatas quoque Civitates, a Romanis factas, honoris ergo, etiam poſt punicum bellum, abſque ullo contradictore, ſciamus.

Novem a Barrio, lib.1. f.51., Coloniæ inter Brutios adnumerantur; a Marafioti vero quindecim, lib.3. c.22. f. 214. Sane Temeſam; Coſs. L. Cornelio Merulo, & C. Salonio, U. C. an. 559., Coloniam factam a Romanis dicunt; velut Ferrarius in Lexico, an. 536. ſemper autem poſt bellum punicum Crotonem eodem anno Coloniam dictam volunt; ut Marafioti lib. 3. c.3. Alii vero aſſerunt, an. 557. novem Colonias in Brutiis, & in

& in iiſdem finitimis Græcis, erectas eſſe. Crotonem ſcilicet, Rhegium, Tarentum, Cauloniam, Petiliam, Turium, Temeſam, Hipponium, & Conſentiam.

At de Conſentia manifeſtus eſt error, quum primum a Q. Flaminio Colonia facta legatur, poſtmodum Municipium; unde Cicero in Verrem, apud Maraſioti, lib.3. c. 15. fol. 283. Publium Gravium Conſentiæ Municipem appellavit. Petiliam quoque, apud laudatum Maraſioti, Coloniam a Sempronio Conſule factam dicunt, & deinde Municipium a M. Magonio. Rhegium quidam a Julio Cæſare, alii Triumviratus tempore, Coloniam aſſerunt, aliique Municipium teſtantur. Turium Ferrarius a Triumviris, Maraſioti ab A. Manlio, & P. Æmilio, Coloniam, & Municipium a Julio Cæſare aſſeverant. Hipponium a L. Nævio, & M. Minutio, Coloniam, & poſtmodum a M. Furio Municipium, ex Livio, & Cicerone, Maraſioti, lib.2. c.20., affirmat. Ut ut hoc ſit, quod temporum reſpicit diverſitatem; hoc unum ſufficit nobis, hæc omnia poſt Hannibalem eveniſſe; unde omnibus pateat, Brutiorum, & Græcorum, urbes a Romanis non pœnas, ſed honores, poſt devictos etiam Pœnos, reportaſſe.

Aliter autem legimus apud Flore, ſive Colonias inquiramus, ſive Municipia Brutiorum. Undecim adnumerat Colonias, Municipia quinque. Coloniæ erant I. Beſidia, vel Beſidiæ, Colonia Latina, a M. Manlio, P. Æmilio, & L. Apruſto, deducta. Livium citat lib.4. de bello macedon., & Barrium lib. 5. f.440. II. Coſa, non diſtiuguit, an Romana, an Latina, Colonia fuerit, a Q. Flaminio, & C. Vellio, immiſſa. Adducuntur Paterculus lib.1., Plutarch. in Q. Flamin., Tullius

in

in Verr., Plinius lib. 35. c. 5., Livius lib. 33., Merola lib.4. c.19., Barrius lib.5. f. 445. Marafioti lib.4. c. 25. III. Croto, Colonia Romana, an.559., a C. Octavio, & L. Æmilio Paulo, & C. Sertorio; aſportata. Teſtes ſcribuntur Livius lib.34. Leand. Ital. reg.8. Merola l.c. Barrius lib. 4. Marafioti lib. 3. cap. 3. Nola lib.1. c.29. IV. Mamertum, Colonia Latina, quam deduxerunt Q. Neucus, M. Manutius Rufus, & M. Furius Craſſipes. Laudantur Livius lib.4.de bello macedon Barrius lib.5. f.440. Marafioti lib.5 f.303. V. Petilia, Colonia Romana, a Sempronio Conſ. deducta. Teſtes ſunt Barrius lib.3. f.305. Marafioti lib. 3. c.22. & Nola lib.1. c.29. VI. Rhegium, Colonia Romana, an.629., Coſſ. M. Plautio Nipſeo, & M Fulvio Flacco. Scribunt C.Vellejus Paterculus lib.1. Strabo lib.6. Merola lib 4. c.19. Barrius lib.3. fol.108. Marafioti lib.1. c.33. Nola lib.1. c.29. VII. Ruſcia, nec annus, nec an fuerit Romana, ſive Latina, Colonia, ſcribitur. Citantur Livius, Marafioti, & Barrius lib.5. f.382. VIII. Scyllacium, an.629. U. C., nec diſtinguitur, an Romana, an Latina. Habentur pro teſtibus C. Vellejus Paterculus lib. 1. Merola lib.4. c.19. Barrius lib. 3. f. 381. Marafioti lib.2. c.24. IX. Tempſa, vel Temeſa, Colonia Romana, quam an. 559. L. Cornelius Arvina deduxit; Barrius ſcribit, L. Cornelius Merola. Teſtantur Livius lib.34. Merola l.c. Barrius lib.2. f.99. Marafioti lib.4.c.23. Nola lib.1. c.29. X. Turium, vel Copiæ non diſtinguitur annus, nec deductor, nec qualis Colonia fuerit. Citantur Merola lib.4. c.29. Marafioti lib 4.c.7. Nola lib.1. cap.29. XI. Hipponium, vel Valentia, an. 509. a T. Manlio Torquato Attico, & C. Sempronio, deducta. Livius lib.35. Appianus de bello civili lib.6. Merola, Barrius lib.2.f.144. Marafioti lib.2.c.20. Nola lib.1. c.29.

Ad

Ad Municipia gradum facimus. Ex eodem Flore, qui Auctores, quos recitabimus, adnumerat, habemus, Romanorum Municipium. I. fuiſſe Coſam; teſtes producũntur C. Vellejus Paterculus lib. 1. Cicero in Verrem lib.7. Barrius lib.5. f.445. Maraſioti lib.4.c.25. II. Petiliam fuiſſe pariter Romanorum Municipium, ſcribunt Barrius lib. 4. f. 305. Maraſioti lib.3. cap. 22. III. Rhegium fuiſſe identidem, teſtantur Nonnius Marcellus, Pitiſus, Feſtus Pompejus, Paterculus lib. 1. Cicero in Verrem lib. 6. & Philippicarum 1. Barrius lib.1. f.198. Maraſioti lib.1. c.12. IV. Turium quoque inter Municipia adnumeratum volunt Maraſioti lib.4. c.7., quod traxiſſe aſſerit ex Cæſaris Commentariis lib.3. V. Hipponium, ſeu Valentiam denique Municipium fuiſſe, ex Cicerone in Verrem conſtare aſſerit Flore; quod probat ex Barrio lib.2. f.144., & ex Maraſioti lib.2. c.20.

Quæ quum ita fuerint, merito Barrius adfirmavit, ſupra cæteras Italiæ Provincias, in majori numero Provincias haſce noſtras Romanorum Colonias, & Municipia, recepiſſe. Quod cunctis gentibus argumenti loco erit, aut Brutiam Terram ſupra cæteras Romano Populo fuiſſe gratiorem, aut Brutiæ Genti pluſquam aliis Romanorum Populum fuiſſe acceptum. *Quin etiam Romani*, ait Barrius lib.1. f.51. *multas Colonias in Calabriam deduxere, quot in nullam aliam regionem deductæ ſunt.*

Inter Brutios quoque fœderatas Civitates fuiſſe, Auctores non pauci, nec parvæ etiam auctoritatis, teſtantur. Tiberim adnumerant quidam, Paleſtrinam, Neapolim, Veliam, Heracleam, & Conſentiam ultimo loco ponunt. Apud Dominicum Martyre in M. S. citantur Panvinius, Ferrarius, & Capaccius. Alii

Alii addunt Locrim, & Rhegium, atque Tarentum; ut invenitur apud Tullium pro Cornel. Balbo, & apud Polybium lib. *6*. Urbibus hiſce a Romana Republica is delatus eſt honor, ut Exules, qui extra Romani Imperii fines peregrinari debebant, in iiſdem habitare permittebantur, quaſi ad imperium urbes non pertinerent. Teſtatur citato loco Polybius. Quod quidem non ſolum nobis, noſtriſque omnibus, verum quoque iis, qui nobiſcum commune cœlum non habent, argumento eſſe debet, præfatas urbes a Romanis, non uti ſubditas fuiſſe habitas, ſed potius veluti ſocias, amicas, ac fœderatas.

Nullam prorſus Brutiam urbem inter Præfecturas invenimus, quanvis multæ Italicæ civitates adnumerentur. Vigintiduæ Præfecturæ in Italia fuerunt; ex quibus decem a Præfecto, a Romano Senatu ad hoc deputato, regebantur; & duodecim aliæ ſub urbani Præfecti regimine erant, qui multoties eas per inferiores Præfectos adminiſtrabant. Decem illæ recenſentur, Capua, Cuma, Caſilinum, Volturnum, Linternum, Puteoli, Acerra, Setia, Atella, & Calatia. Duodecim aliæ ſunt, Fundum, Formia, Cero, Venafrum, Aliphes, Arpinum, Anagnia, Pipernum, Fruſino, Reate, Saturnia, & Nurſia. Duriorem præ cæteris urbibus, quæ Coloniæ, Municipia, & Fœderatæ dicebantur, Præfecturæ conditionem ſubibant; quia nec proprias habere leges poterant, ut Municipia, nec Magiſtratus creare ex proprio illarum cœtu, ut Coloniæ. Sub Romanis legibus vivebant, & conditiones illas ferre cogebantur, quas iiſdem Romani Magiſtratus imponere volebant.

Duo ad rem noſtram in Præfecturis hiſce obſervamus. Primum eſt, quod Brutiæ urbes non paucæ

 Co-

Coloniæ quidem, Municipia, & Fœderatæ inveniuntur, nulla autem indicatur, quæ Præfectura fuerit. In Neapolitano regno decem Præfecturæ ſunt omnes; ex duodecim aliis ſex quoque ſunt in eodem regno: Et nihilominus in Brutiis, qui intra idem regnum continentur, nulla eſt. Si ergo Brutii inviſi Romanis fuiſſent, ut Adverſarii noſtri fabulantur, quare inter Brutios tot Colonias, tot Municipia, tot Fœderatas Urbes habere voluerunt Romani, Præfecturam autem nullam?

Cæterum multæ ſunt civitates, quæ antea Coloniæ, Municipia, & Fœderatæ quoque fuerunt; ſed poſtmodum, ob fidem Romanis non ſervatam, Præfecturæ evaſerunt. Hoc in una Capua eſt pluſquam perſpicuum, ſi alias velimus ſilentio præterire, quæ quidem in pœnam defectionis ad Hannibalem, Præfectura facta eſt, quum prius Colonia, Municipium, Fœderata Civitas eſſet. Hac eadem pœna quare Brutiæ urbes a Romanis non fuiſſent mulctatæ, ſi eædem parem fidem Romanis non ſervaſſent? Non ergo Brutiorum urbes Romanis infidæ dicendæ ſunt, quum a Romanis ſupplicia non ſuſtinuerint, quæ receperunt civitates aliæ, quæ vere perduelles fuerunt: Sed potius præmiis, honoribus, privilegiis, ſunt exornatæ, quibus ſociæ, amicæ, & fideliſſimæ urbes, ornabantur.

Alterum, quod obſervamus, hoc eſt. Ex urbibus, quæ Præfecturæ dicebantur, non paucos deprehendimus deſcendiſſe viros, qui in Romano Senatu adſcripti, ſupremos honores in Republica obtinuerunt. Arpinum jam vidimus inter Præfecturas adnumeratum; & nihilominus ſciunt omnes, C.Marium, ſepties Conſulem, Marcum Tullium Ciceronem, Conſulem quoque,

que, & M. Agrippam, qui Auguſti Imperio ſummam rerum geſſit, Arpinates fuiſſe. Veſpaſianum etiam, ejuſque filios, Titum, & Domitianum, Imperatores, quis neſciat fuiſſe Reatinos? Et tamen Reatem inter Præfecturas adnumeratam vidimus. Quis ergo ſciolus homo dicat, Brutiis, qui ex Præfecturis non fuerunt, militiæ honorem fuiſſe prohibitum, qui interdictus ſane non fuit hominibus pluribus, qui Præfecturarum urbium incolæ dicebantur?

§. XII.

Poſt Hannibalis defectionem Viri Brutii in Romana Republica militiæ, & magiſtratus, laude decori.

ALterum eſt, quod videamus, Brutios ſcilicet Viros, poſt diſceſſum Hannibalis ab Italia, militiæ, & magiſtratus, honores obtinuiſſe, non ſemel quidem, ac iterum; ut vere conſpiciatur, tantum abfuiſſe, quod Brutii pœnam a Romanis receperint, ob defectionem ad Hannibalem, ut potius præmia, ob fidei conſtantiam erga Rempublicam, obtinuerint. Quod ſi hoc nobis contigerit oſtendere, quis erit ſanæ mentis homo, qui amplius contendet, commentum fuiſſe illud A. Gellii, abſque examine a poſterioribus ſcribentibus exſcriptum, quo Brutii per vulgarium hominum ora traducuntur? Non enim ſtare unquam poterit, ut uno eodenque tempore Brutii, tanquam infideles a Romanis puniantur, ut Lictorum, Tortorumque, officium obeant, & veluti Romanæ Reipu-

blicæ accepti, ac erga eandem fidiſſimi, in militia; & in magiſtratibus, primis honoribus adornentur.

Anno U. C. 563. Coſſ. Pub. Cornelio Scipione Naſica, & M. Attilio Gabione, in exercitu Militum, quem contra Regem Antiochum Romani collegerunt, Legio ſecunda ex Brutiis, Siculis, Sardis, & Hiſpanis, compacta dicebatur. Apud Livium lib.35. c. 57. hæc leguntur: *Igitur de Provinciis Prætorum decretum eſt, primo ut ſortis ſecundæ, peregrinæ, urbanæque, inter cives & peregrinos juriſdictio eſſet, ſecundo Brutii; tertio claſſi ut navigaret quo Senatus cenſuiſſet; quarto Siciliæ; quinto Sardini; ſexto Hiſpania ulterior.*

Anno poſtmodum ſubſequente, Cajus Livius, maritimæ Claſſis Præfectus, contra eundem Regem Antiochum arma dirigens, naves, & milites ex Brutiis accerſivit. Qui quidem ex Rhegio & Locri miſſi, in Romano exercitu cum laude militarunt. A Flore citatur Livius dec.4. lib.36. c.44.

Anno etiam U. C. 551. poſt Hannibalis diſceſſum ab Italia, Manlius, Turinus, primus Ædilis Romanæ Plebis fuit; poſtmodum Prætor, an. 554. Quintus Minutius, Turinus, primus Ædilis Curulus, an.553. & deinde Triumvirum unus ad Colonias deducendas, an.556. Lucius, Temeſanus, Romæ Prætor, an.565., Lucinus Rheginus, Tribunus Plebis; Cajus Antonius, Rheginus etiam, Julii Cæſaris Legatus in Galliis, cujus ipſemet Cæſar lib. 6. de bello gallico in principio meminit. Horum omnium catalogum conſtruunt Barrius lib.1. f.52., & Maraſioti lib.5. f.306.

Accedunt his Vilius, Hipponenſis, in M. Tullii Ciceronis Conſulatu, factus Ædilis Plebis; Volturnius, Crotonenſis, Lentuli Legatus ad Allobrogos; Praſsiteles, Pompeji M. tempore, ob artis ſuæ excel-

len-

lentiam, Romanus civis factus. Luſtricus Brutianus, Proconſul. Octavianus, Octaviani Auguſti Imperatoris Pater, Senator Romanus, ſucceſſu temporis, factus.

C. Marii temporibus, quæ ſane fuerunt poſt Hannibalem devictum, in Romano exercitu Brutii reperiebantur, qui propria arma ferebant, quæ Brutianæ dictæ ſunt; eaque Marius a Romanis ipſis adhibenda voluit. Feſtus apud Pitiſcum, verbo Parma, ait: *Parmulis pugnare milites ſoliti erant, quarum uſum ſuſtulit Cajus Marius, datis in vicem earum Bruttianis*. Et ex Valtrino ſubdit; *Bruttianæ Parmæ dicebantur ſcuta quibus Brutiani ſunt uſi*.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIONIS
PARS SECUNDA.

In defendenda Brutiorum cauſſa, quæ calumniam continet, qua eoſdem dicitur, a Romanis ad Hannibalem defeciſſe, uſque modo ſtudia noſtra locavimus; in præſentiarum oportet alteram eorundem cauſſam agere, qua injuria quidem, & inſolentia, traducuntur, quod Chriſti fuerint in flagellatione, & in crucifixione, Tortores. Hinc alteram Dissertationis partem aggredimur, in qua, & illos non fuiſſe, oſtendemus, & quinam fuerint, inveſtigabimus.

§. I.

Brutii Chriſti Tortores non fuerunt.

EA ſola ratione nuperus Scriptor Gallus ad pronunciandum, tanquam ex tripode, movebatur, Chriſti Lictores, atque Carnifices, fuiſſe Brutios, ſeu Brutianos, Italiæ populos, tractum illum Italiæ quondam incolentes, qui hodie Calabria dicitur; quod iidem ſcilicet Brutii ad infligenda ſupplicia delinquentibus ſuam operam exhiberent, in pœnam, quod primi totius Italiæ e Romanis ad Hannibalem defeciſſent. Quum ergo uſque modo oſten-

Digitized by Google

oſtenderimus, Brutios, nec primos totius Italiæ e Romanis ad Hannibalem defeciſſe; nec pœna illa; ſeu potius infamia, fuiſſe a Romanis perculſos, ut Magiſtratibus, ad regendas Provincias euntibus, parerent, & ad infligenda ſupplicia delinquentibus deſervirent; nec denique Auctores illos, quos Scriptor Gallus ſequebatur, ſibi ſatis in eo aſſerendo conſtare: Conſequens eſt, quovis remoto dubio, ut Brutii minime dici debeant Chriſti Tortores, ut Adverſarius noſter intendebat. Et hac quidem ratione, contra Adverſarium hunc rem nos omnino geſſiſſe, quilibet facili negocio deprehenderet. Attamen aliis quoque Scriptoribus, qui genti noſtræ non favent, aliis etiam rationibus, quibus nos percutere pertentant, occurrere oportet; ut rem videamur omni ex parte complere, & nullum Legentibus dubium remaneat, quo hæſitent amplius ad hanc notam a nobis omnimode removendam.

Scriptores plerique in ea ſunt ſententia, ut conſtanter aſſerant, Gentiles natione fuiſſe Chriſti Tortores; quia Pilati erant miniſtri, qui Præſes, a Romano Imperatore miſſus, Hieroſolymam, totamque Judæam, gubernabat. Ulterius deinde alii progredientes, & ex vulgi quidem ſenſu obloquentes, dicunt, Pilatum antea Brutiorum regionem gubernaſſe; ac proinde ejuſdem nationis milites, quando Judææ gubernacula ſuſcepturus diſceſſit ex Italia, ſecum adduxiſſe. Aliis ratiunculis ſe quoque moveri dicunt, ut fortius tueantur, Chriſti Tortores fuiſſe Gentiles, & inter Gentiles, Brutios; quas hîc nos inſtituimus expendere, & quam inanes, futileſque ſint, oſtendere.

Chriſti Domini verba, in cruce pendentis, nobis primo loco obtrudunt; quæ fuerunt, *Eli, Eli, Lammaſabachtani*; quæ interpretatur Euangeliſta: *Deus meus, Deus*

Deus meus,ut quid dereliquiſti me? Poſt quæ verba idem Euangeliſta ſubdit: *Quidam autem illic ſtantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iſte.* Certiſſimum dicunt, hos ſtantes, & audientes, non fuiſſe Judæos; iſti enim verborum illorum ſenſum, *Eli, Eli, Lammaſabacthavi*, utique intellexiſſent; quia hebraici idiomatis erant verba, quo Judæi loquebantur. Si Judæi non fuerunt, fuerunt procul dubio Gentiles; ac proinde Pilati Lictores, qui inſuper Brutii, ex alia ratione, nuper adducta, dicendi ſunt.

Sed quam longe, qui ita diſcurrunt, a veritate aberrent, ex his, quæ ſubnectimus ad eoſdem refellendos, facili negocio Legentibus innoteſcit. Tempore, quo Chriſtus inter mortales agebat, Judæi non hebraica pura, ſed ſyriaca lingua loquebantur. Pura hebraica deperdita jam fuerat, quando in babilonica captivitate detenti,ex miſcela hebraici ſermonis,& chaldaici, tertiam linguam, hoc eſt ſyriacam, Hebræi illi conſtituerunt. Eo fere pacto, quo ſcimus, latinam linguam in ipſomet Latio, ex Barbarorum multitudine, ad latinas oras advenientium, ibique longo tempore commorantium, fuiſſe deperditam; ex eo, quod eandem cum barbara lingua miſcentes, tertiam linguam, hoc eſt italicam, in Italia Latini generarunt.

Hebræi ergo de vulgo, puram hebraicam linguam non callentes, quid mirum ſi in intellectu verborum illorum errarunt, & Eliam intellexerunt pro uno ex vigintiquatuor Dei nominibus apud Hebræos, quod dicitur El, & cum affixo facit Eli, hoc eſt Deus meus? Non aliter Italis idiotis contigit, vel etiam Gallis, & Hiſpanis, quorum linguæ pariter ex latinæ linguæ corruptione, per illius cum Barbarorum lingua admixtionem, natæ ſunt. Hi etenim latinam linguam

non intelligentes, ſi quempiam audiant latine loqui, unum pro alio verbum quandoque accipiunt, & in illorum intelligentia turpiter decipiuntur.

Hoc quidem noſtrum ratiocinium ex eo confirmatur fortius, quod Gentiles nullam de Elia notitiam habebant, quæ tamen inerat Hebræis. Jovem, Saturnum, Junonem, Venerem, aliaque Gentilitatis numina, vel ſemi-Deos, quos vocabant, aut Heroas, ſciebant Gentiles; ſed de Elia, Eliſeo, aliiſque Prophetis, quorum fides apud Hebræos erat, apud illos cognitio nulla. Non ergo Gentiles fuerunt, qui dicebant, *Eliam vocat iſte*; at Hebræi, qui in hebraica lingua, jampridem deperdita, & quæ tantum apud doctos viros conſervabatur, rudes, & imperiti, ſermonem illum, qui popularis non erat, minime intelligebant.

Audiatur Cornelius a Lapide, in Matth. c.27. v.46., *Judæi, Babylone redeuntes, corruperant linguam ſuam hebræam, & induxerunt ſyriacam*. Scimus, S. Hieronymum aliter putaſſe, ut apud eundem Cornelium legimus ad illa verba: *Quidam autem illic ſtantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iſte*. Ait Cornelius: *S. Hieronymus, & alii, cenſent, hos fuiſſe milites Romanos; nam illi acetum porrexerunt Chriſto, ut docet Lucas cap.23.v.36. Hi ergo cum hebræam linguam non callerent, audirentque Chriſtum clamantem, Eli, Eli, putabant, Eliam vocari, & invocari, a Chriſto: Eliam enim redituram in adventu Meſſiæ, a Judæis inaudierant*.

At optime peritos in Judæorum religione credere oportet Gentiles illos, qui de adventu Meſſiæ, de reditu Eliæ, de ejuſdem raptu, deque aliis, ad hæc comitantibus, ſatis inſtructi loquebantur; quod quidem de militibus, vel de lictoribus, hominibus ut plurimum

rimum rudibus, & parum literis, & religionis myſteriis, aſſuetis, credendum non eſt. Non ergo Gentiles fuerunt, qui verba illa protulerunt, ſed Judæi; qui, vel utpote puri hebraici ſermonis ignari, illo æquivocationis vitio laborarunt; vel fortaſſis, ut alii etiam aſſerunt, verba illa ſano modo intelligentes, detorſerunt tamen ſenſum, ut Chriſto illuderent, & illius verba deriderent.

Quum enim apud illos pervulgatum jam eſſet, Eliam in fine mundi adventurum in mundum, ut fidem hominibus prædicet, qua omnes gentes ſalvæ fiant; hoc quidem Chriſto, deridendo, & conviciando, objectabant. Scilicet, quaſi dicerent Redemptori, jam in cruce pendenti, & in proximo morituro, tempus adveniſſe, quo ſalvus fieret ab Elia, quem vocatum ab illo, fingebant. Ac proinde hæc omnia, ut ironice loquebantur, ita & contumelioſe intorquebant.

Natalis Alexander, qui fuit nuperi Scriptoris Galli, contra quem ſcribimus, doctus ſane, & criticus, præceptor; hæc ad rem noſtram, in expoſitione Euangelii S. Matthæi c.27. in ſenſu literali, num. 24. ſcribebat: *Quidam autem illic ſtantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iſte. Id dictum a Romanis militibus, ſermonis hebraici ignaris, qui Eliam pro Eli intellexerint, quidam conjiciunt. Veriſimilius eſt, id dictum a Judæis Heleniſtis, qui cum hebraica verba non intelligerent, Eliæ nomen ſibi notum audire ſibi viſi ſunt: Romani enim milites nihil de Elia noverant. Forte & Judæi Hieroſolymitani verba Chriſti ex induſtria perverterunt, ut ipſi illuderent.*

Tres ergo rationes opponimus iis, qui ſcribunt, verba illa, *Eliam vocat iſte*, a Gentilibus, non a Judæis, fuiſſe dicta; quibus contrarium omnino ſuadere

Digitized by Google

Legentibus, arbitramur. Prima eſt, quam primo loco attulimus; ſcilicet, quia Judæi rudes, qui ſyriace loquebantur, hebraicum ſermonem purum non intelligebant. Secunda, quam ex Cornelio a Lapide reportavimus; quia etſi Judæi verba illa intellexiſſent, ut Chriſto tamen improperium facerent, non intelligere fingebant, & ad alterum ſenſum tergiverſabant. Tertia demum eſt, quam a Natali ab Alexandro nuper mutuati ſumus: quia etſi Chriſtus ſyriace loquutus fuerit, ut Cornelius a Lapide credidit, *Hinc Chriſtus pro hebræo azabatani, ſyriace more gentis ſuæ dixit, Sabactani. Syra moderna habet, elmonosbactoni. Unde liquet temporum ſucceſſu nonnihil variatam eſſe linguam ſyriacam, uti variata eſt lingua italica, gallica, germanica, & aliæ*; Attamen Hebræi, qui in Græcia habitabant, Hebræi ſcilicet Heleniſtæ, nec hebraicam, nec ſyriacam, linguam callebant; & tamen Eliam ſciebant. Unde iſtos, non Gentiles, verba illa protuliſſe, *Eliam vocat iſte*, Alexander veroſimilius putavit, & nos cum ipſo adfirmamus.

At demus, quod verba illa protulerint milites, qui Gentiles erant, quis ſanæ mentis homo legitime inferet, milites illos, qui Gentiles erant, Brutios quoque fuiſſe? Quia fortaſſis in Judæam cum Pilato advenerant, qui, vel inter Brutios natus fuerat, vel Brutios gubernaverat? Pilatum, nec nativitate, nec origine, Brutium fuiſſe, Scriptorum fere omnium eſt ſententia; ſi unum aut alterum demas, qui, a nominum ſimilitudine decepti, oſcitanter errarunt. Plurimi natum Ponti in Cappadocia, vel in Bithinia, Pilatum aſſerunt; ac proinde Pontium fuiſſe dictum. Alii Pontium fuiſſe nomen dicunt, cognomen vero Pilatum, eunque Romæ natum volunt. Alii denique, inter quos

Jo-

Joſeph Hebræus, & Sixtus Senenſis, t.1. lib.2. f.195., majori vero ſimilitudine enunciant Pilatum Lugduni in Galliis natum, & Viennæ in Delphinatu mortuum.

Certum eſt, ex Scriptoribus Gallis quoſdam, ut ab ſe Pilatum removerent, Italum nominaſſe. Videatur Vincentius Bellovacenſis lib. 7. ſpec. hiſt. c.4. Et cum aſſeruerint quidem, deſcendiſſe Pilatum a Pontio, Aprutinorum Duce; qui Romanos ad furcas caudinas devicerat, non abſimile eſt, quod iidem ſcripſerint quoque, ex Aprutio fuiſſe. Similitudo deinde nominis Aprutii, & Brutii, apud Sciolos effecit, ut quem ex Aprutio legebant, Brutium crederent. Nec facile aſſerimus, an hoc evenerit ex Legentium imperitia, an ex hallucinatione, an potius ex livore in gentem noſtram, & nationem.

Poſt Pilati Patriam examine diſcuſſam, Militum, & Lictorum, qui ſub Pilato in Judæa erant, nativitatem, & regionem, expendimus. Legionarios Milites, & Lictores, qui ſub Præfectis eſſent, a Romano Senatu in Provincias miſſos, Scriptores communi calculo affirmant; illi ut præſidiarii Provinciarum fines cuſtodirent, iſti ut in infligendis pœnis delinquentibus ſuam operam exhiberent. Unaquæque Legio ex turmis Peditum, & Equitum, conſtabat; turma Peditum in Cohortes dividebatur, turma vero Equitum in Decurias. Cohors ex Manipulis, Manipulus ex Centuriis, componebatur; & Centuria centum continebat milites, quorum capiti Centurio nomen erat. Alii aliter ſentiunt, aſſerentes nimirum, Legionem ex decem cohortibus conſtaſſe, cohortem ex quinquaginta manipulis, manipulum ex vigintiquinque militibus. Centuriones, quorum unicuique centum milites parebant, ſub Tribu-

bunis erant, qui ſex in unaquaque Legione inveniebantur; Tribuni Legatis, Legati Conſuli, obtemperabant.

Romanæ Legiones, ut in inſcriptione apud Capitolium Romanum etiamnum viſitur, trigintaduæ erant, & diverſimode vocabantur. Scilicet vel a numero, & ordine, uti prima, ſecunda, tertia, decima, viceſima: Vel ab Imperatorum nominibus, uti auguſta, claudiana, galliena, flavia, ulpia, trajana, &c.: Vel a provinciis in bello victis, uti perſica, ſcythica, gallica, arabica, macedonica, hiſpanica &c.: Vel a locis, in quibus primum fuerant inſtitutæ, veluti italica, cirenica &c.: Vel a nominibus Deorum, quibus Imperatores peculiari cultu addicti erant, ut minervia, apollinaris &c.: Vel denique ab aliis eventibus, in exercitu, in urbe, in militibus, vel alibi, obſervatis; uti gemina, adjutrix, martia, victrix, ferrata, fulminatrix &c. Verum tamen eſt, hujuſcemodi ordines, nomina, aliaque non ſemper in uſu fuiſſe; ſed ad reipublicæ nutum omnia, & præcipue pro Imperatorum libito, ut plurimum variabantur; ut eſt facile obſervare apud Polybium, Vegetium, Panvinium, Sigonium, Roſinum, Lypſium, alioſque. Romana Legio, quæ ad Syriam, vel ad Judæam, mittebatur, ferratia, vel ferrata, vel ferrea, aut etiam italica, dicebatur, & ſexta erat in ordine; uti ſcribunt Baronius, & Cornelius a Lapide ſuper Apoſtol. Act. c.10.

Milites hoſce, qui ſub Pilato erant, Brutios fuiſſe, fidenter ſcribit Alphonſus Salmeron, tom. 10. hiſtor. euangelicæ tract. 29. ad tertium fol. 246. *Ex quibus non improbabiliter elicimus, Brutios milites miniſtros fuiſſe Pilati, qui Dominum flagellarunt, & forte etiam in crucem adegerunt. Sunt autem Brutiani, vel Bru-*

Brutii populi, quos hodie Conſentinos vocamus, cum pagis vicinis, qui ſunt, ut ferunt, ſupra trecentos. Poſt Salmeronem hujuſcemodi opinionis ſectatores ſequuntur Joannes Gregorius a Jeſu & Maria, ex Diſcalceatis S. Auguſtini; Donatus Calvus, Bergomenſis, ex ordine pariter S. Auguſtini; præter alios, qui poſt hos turmatim euntes, non vident potiſſimum quo eundum eſt, ſed quo itur.

Contra Joannem Gregorium a Jeſu & Maria, & contra Donatum Calvum, inferius ſingillatim in peculiaribus locis calamum tractabimus; modo contra Salmeronem hæc pauca dicamus. Quum ille conſtanter aſſerat, Chriſti Tortores Brutios fuiſſe, aut intendit Chriſti tortores fuiſſe milites, aut fuiſſe lictores? Si milites concedit: Non fuerunt ergo Brutii; quia, Gellio magiſtro, Brutiis militiæ honor denegabatur. Si lictores aſſeverat; nec Brutii fuerunt, quia jam ſuperius eſt probatum, Brutios nunquam habuiſſe in pœnam, ut lictores eſſent.

Pergimus ulterius; ſi vult Salmeron, Brutios uti Lictores Chriſtum flagellaſſe, ac cruci affixiſſe, quare illos milites appellat? *Brutios milites miniſtros fuiſſe Pilati*. Nec reponat ſub lato militum nomine lictores venire, qui ſimul milites, & lictores erant; quia ex Panvinio de Civ. Rom. tit. de Lictor. fol. *616*., præter milites, qui in provinciis præſidia componebant, duodecim erant lictores Proconſulum, uti & Conſulum, ſex vero Prætorum, & Proprætorum.

Cæterum ex Euangelio conſtat, milites fuiſſe, qui Chriſtum flagellis affecerunt, qui ſpinis coronarunt, qui cruci affixerunt; ut mox oſtendemus. Sed non conſtat fuiſſe ſolos; quia ſimul cum militibus, qui Romani erant, poterant nefario ſceleri miniſtri deſervire,

re,

re, qui Judæi eſſent. Et ſi milites fuerunt, quare in tanta militum multitudine ſoli Brutii electi, ut immane facinus exequerentur? Non quia ipſorum erat officium; jam enim hoc in ſuperioribus eſt rejectum. Non quia Centuria ex ſolis militibus Brutiis componebatur; quia plures in ea erant non Brutii. Ex quatuor autem militibus, qui Chriſti cruci affixioni aſtiterunt, ſingillatim probabimus, duos ſaltem Brutios non fuiſſe.

Denique fallitur Salmeron, quum Brutios tantum Conſentiæ, & in pagis Conſentiæ, natos adfirmet; quando plurimæ Brutiorum urbes in regione illa, quæ modo Calabria dicitur, oſtenduntur: ut hiſtoriam noſtram vel a limine ſalutantibus innoteſcit.

§. II.

Cujus nationis Chriſti Tortores fuerint, ex aliorum Scriptorum monumentis evincitur.

MIratur valde Dominicus Martyre in M. S. multoties laudato, quod quum Lictores apud Romanos dicti fuerint Cyprii, Placentini, Lucani, Brutii, &c. ignominia Chriſtum flagellandi, & crucifigendi, ad ſolos Brutios adſcribatur. Potiori jure nos demiramur, quod quum Romanorum Lictores in Judæa incertum ſit, cujus nationis fuerint, aſſeveranter tamen Chriſto flagella infligendi, & Chriſtum cruci affigendi, provincia ſolis Brutiis adſignetur. Admiſſo enim, quod probatum ſupponimus, Brutios non habuiſſe in pœnam, ut Lictores eſsent; aut ergo nulli apud Pilatum,

tum, aut ſaltem non omnes, qui Brutii eſſent, Lictores erant. Et ſi non omnes, cur non aliis adſcribitur actio illa, qui aliarum nationum erant. Similiter ſi milites, præter Lictores, aut ſi milites cum lictoribus, nefario ſceleri aſtiterunt; aut nulli erant Brutii inter milites illos, aut non omnes Brutii erant. Et ſi non omnes, quare ſolos Brutios adminiſtros facinoris volunt?

Attamen hîc afferre non pigeat, varias Scriptorum opiniones, de natione Tortorum Chriſti, ſive milites illi fuerint, ſive Lictores; & præcipue Centurionis illius, qui militibus præcedebat. Sancti Patres plures, Scriptores autem eccleſiaſtici plurimi, ſcribunt, Lictores, qui Chriſtum vel flagellarunt, vel cruci affixerunt, Romanos fuiſſe. Apud Maldonatum in Matth.27. num.47. citantur S. Hieronymus, Beda, Euthimius &c. Apud Cornelium a Lapide ſemper Romanos milites invenimus; & non diverſimode apud Dionyſium Carthuſianum in Matth. ar.42. & 44. Gretſerum, Joannem Tamayum, in martyrologio Hiſpano tom.5. fol.336. Sive ergo milites, ſive lictores, tortores fuerint, ſive utrique; æquè apud Scriptores iſtos, Romanos fuiſſe, deprehendimus.

Lucius Dexter, vel quiſquis alius ſit Auctor operis illius, quod Lucii nomen in fronte oſtendit, in chronico ad annum Chriſti 34. Centurionem, quem C. Oppium appellat; vocat quoque Romanum civem, quem etiam nativitate Hiſpanum fuiſſe,ſcribit. Ex quo inferimus, quod fortaſſis milites illi, ſive lictores, Romani dicebantur, quia miſſi in provinciam a Romano Imperatore fuerant; vel quia in Romano Exercitu erant; vel quia Romanæ Civitatis honore potiebantur. En Lucii verba: *Floret per id tempus in Hiſpania*

 C. Op-

C.Oppius, Centurio, frater Cornelii, pariter Centurionis, qui morientem Chriſtum prædicat Hieroſolymis eſſe filium Dei, inter fragores ſaxorum mutuo ſe collidentium, obducto tenebris die. Ex Gentilibuſque a Chriſti morte primus hic Chriſtianus Centurio credidit; qui fuit Civis Romanus, baptizatuſque a B. Barnaba, factus eſt tertius mediolanenſis Epiſcopus. Vir quidem apoſtolicus, qui Chriſti mortem & eclipſim admirabilem primus omnium Hiſpanis, genti ſuæ, cum audientium ſtupore, refert.

Doctor Sanctamaria, in ſuo libello, Coloniæ an. 1664. typis dato, in quo de finibus diſſerit ſpiritualis, & temporalis poteſtatis, juxta S. R. Imp. Electorum declarationes, adfirmat, Pilatum, & milites, qui ſub eo erant, fuiſſe Gallos. Quid mirum, ſi Præſes, ſaltem majori ex parte, concives ſuos ſecum eſſe voluit in præfectura illa, in qua, aut concives per ipſum opibus abundarent, aut ipſe per concives in ſecuritate poneretur? Certe Pilatus, ut fertur, ante provinciam illam ſibi regendam demandatam, in altera expeditione fuerat, in qua exercitum habuit, quo inſignem victoriam reportaverat. Milites Gallos, qui ſibi chariores fuerant in militia, a ſe disjunctos noluit in gubernio; ut ſibi ſocii eſſent in regiminis deliciis, qui ſocii in militiæ laboribus fuerant.

Cardinalis Sirletus in græco menologio, quod latinum reddidit, ſub die 16. Octobris, aſſerit ex eodem menologio, Centurionem, ejuſque milites Cappadoces fuiſſe. En menologii verba: *Decimo ſeptimo Kalendas Novembris, Longinus Centurio, Tiberio Imperatore merens, ſub Pilato Judææ Præfecto, qui illius juſſu, pretioſis Chriſti cruciatibus, pœnæque per crucem expetitæ, ſedulam cum ſua centuria navavit operam; cum ea, quæ cœli, Chriſto crucis patibulo elato, non ob-*

ſcura

ſcura nefariæ cædis dedere ſigna, vidiſſet, terram horrendo motu concuſſam, ſolis deliquium, ſepulcra ſponte ſua patentia, mortuos excitatos, diſcuſſaſque petras, exclamavit: Vere filius Dei erat iſte. Renuntiatoque militiæ munere, Patriam rediit, Chriſtum palam prædicans, ac denuncians; qui cum idcirco a Judæis ad Pilatum delatus eſſet, Pilatuſque pecunia corruptus, rem ſcripſiſset ad Tiberium, ejus mandato caput Longino præciſum eſt, & in fine Hieroſolymis dejectum.

Simeon Metaphraſtes apud Surium tom.7. vult, Centurionem Judæorum gentis nationiſque fuiſſe; *ex Synagoga Judæorum.* Petrus Natali lib.3. cap.22. Aſiaticum ſcribit; ex Provincia Iſauriæ, quam modo Natoliam appellamus; illumque Longinum nominat. *Longinus fuit quidam Centurio de Provincia Iſauriæ.* Alii apud Laurentium Longum, Clericum Regularem Somaſcum, Romanum dicunt, ex patritia gente Caſſia, quam Longiuram cognominabant: *Longius erat Romanus, ex Caſſia gente, Longinum cognomen habens.* Doneſmondus, in Mantuana Hiſtoria eccleſiaſtica Cæſareæ in Cappadocia natum aſſerit, quæ eſt in Aſia minori.

Ex his apparet, qua veri ſpecie loquantur illi, qui ſine nomine a Calvi referuntur, quique aſſeverant, fuiſſe Brutium: *Ed altri, che Bruzio foſſe, o diremo Calabreſe, per eſſer' il primo de' Miniſtri di giuſtizia, che tutti erano Bruzii, come diſcorreſſimo nella Riſoluzione 70. de' flagellatori, e crocifiſſori di Criſto.* Et opinionem hanc, ſeu verius commentum, ipſemet Calvus amplectitur, quum poſt pauca ad præfata verba ſubnectat: *così circa la patria di queſto Centurione ſtaremo coll'ultimo parere.*

Quia tamen Auctores opinionis hujuſce, quam

 aliis

aliis præfert, non indicat; quando præcedentium opinionum omnium Auctorum nomina & cognomina ſcripſerat;non obſcurum indicium eſt, quod opinio, quam ſequitur,vel nullum,vel non magni nominis,Auctorem habuerit. Deinde qua veri ſimilitudine Centurionem militum Miniſtrorum Juſtitiæ caput appellat? Iidem ne ſunt apud Scriptorem hunc Bergomenſem milites, & lictores, qui ſunt juſtitiæ miniſtri? Idem Centurio, qui eſt in militia honoris titulus, ac tortorum primus, qui eſt infamiæ primatus? Non ergo eſt ignominiæ nota, lictores, vel tortores, fuiſſe, ſi primæ dignitatis milites illorum munus exercebant.

Calvi autem aſſertionem neminem prorſus ſcribentem vidimus, qui vel ante Calvum præfiguraverit; vel poſt eundem ſequutus fuerit. Omnes enim alibi, quam in Brutiis, Centurionem hunc ortum dicunt: tam illi, qui eum cum Longino confundunt, ſcilicet cum milite illo, qui latus Chriſti feriit; quam illi, qui eum ab eodem milite ſecernunt. Calvus autem, militem, qui Redemptoris latus lanceâ poſt ejus mortem feriit, ex Euangelio, non lictorem, ſed militem, dicit: *Unus militum lancea latus ejus aperuit*. Inſuper militem fuiſſe Aſiaticum, Iſauriæ natum; & hoc unanimiter Scriptores affirmare, Calvus affirmat. Non ergo Brutii fuerunt milites, qui ſub Centurione, in Judæa præſidiarii reperiebantur; & qui ad Pilati nutum Chriſti paſſioni in Calvario aſſiſtentes erant.

Denique in Euangelio non aliam Miniſtrorum Pilati mentionem habemus, præter milites hoſce, quos recenſuimus, & duos alios, quorum ignota ſunt nomina; qui omnes non ſunt, ex eodem Euangelio, plures quam quatuor. Iſti fuerunt, qui Chriſti veſtimenta diviſerunt, & quatuor fecerunt partes, quia qua-

quattor erant milites. Iſti, qui Chriſti morti aſtiterunt. Iſti, qui Centurioni, rerum ſummam in Calvario agenti, obedierunt. Ubi ergo Miniſtri Brutii, qui Chriſtum crucifixerunt? Ubi Brutii milites, qui Chriſti crucifixioni aſtiterunt, qui Chriſti veſtimenta diviſerunt, qui Chriſti ſepulcrum cuſtodierunt? Sed de hoc latior inferius ſermo redibit.

§. III.

Judæi in Chriſti apud Gethſemani deprehenſione, apud Prætorium flagellatione, & in Calvario crucifixione Lictores, Lorarii, ac Tortores, ex parte, fuerunt.

CArolus Sigonius, etſi in iis, quæ in prima Diſſertationis parte diſſeruimus, contra nos moverit arma, in his tamen, quæ in hac altera probaturi ſumus, amicas nobis porrigit manus. Etenim in lib. 7. de Republica Hebræorum cap. 13. totus eſt, ut probet, Judæos in Chriſti flagellatione, ac crucifixione, lictorum, lorariorum, ac tortorum, munus egiſſe. Hæc ſunt verba Sigonii: *Præter milites vero, qui templum cuſtodiebant, erant quoque miniſtri, ideſt lictores, quos ad comprehendendum reos, juſſu Principum Sacerdotum, & populi, adhibebant. Quod ſi qui rei violati templi, aut alicujus gravioris flagitii eſſent, aut ejus opibus præditi, ut eos timerent, cum lictoribus cuſtodes etiam milites adjungebant; lictores, ut eos vincirent; milites, ut vim, ſi forte irrueret, propulſarent. Probantur hæc omnia hiſtoria Chriſti.*

Igitur, ex Sigonio, quod infert Dominicus Martyre, in citato multoties M.S., præter milites, qui in templo erant, Principes Sacerdotum lictores etiam habebant, quorum erat munus, eos vincire, punire, flagellare, qui violatæ religionis rei dicerentur. Et ſi rei gravioris criminis eſſent, tunc Sacerdotum Principes, ultra milites, quos ipſi ſine tribunis & cohortibus retinebant, alios cum tribunis & cohortibus ſuis a Præſide impetrabant; ut in Chriſti paſſione fecerunt. Non quidem ad pœnas infligendas, quæ a ſuis lictoribus infligebantur, ſed ad impediendum ſeditiones, & ne in reorum ſuppliciis tumultus in populo fierent; maxime quando rei apud populum magnæ famæ & optimæ opinionis eſſent, ut Chriſtus erat.

Ad hæc optime faciunt, quæ de Juda in Euangelio narrantur. Judas enim volens Chriſtum accuſare, & tradere, non ad Pilatum, ſed ad Pontificem Caipham, acceſſit; ab eoque milites, & lictores, habuit, quibus Chriſtum in Gethſemani villa comprehendit. Sic Matth. 26., & Marci 14., legimus. *Abiit Judas ad Principes Sacerdotum, & ait illis: quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Ulterius Joan. 18. Judas non ſolum cum militibus cohortis, ſed cum miniſtris etiam Judæorum, ad capiendum Chriſtum, venit: *Judas ergo, cum accepiſſet cohortem, & a Pontificibus, & Phariſæis, miniſtros, venit illuc.* Et Joannis 18. verſ. 12. *Cohors ergo, & Tribunus, & miniſtri Judæorum, comprehenderunt Jeſum, & ligaverunt eum.* Sane præfatis in locis fit mentio de militibus, & de miniſtris. Milites quidem dicitur, quod Præſidis erant, quum cohortem conſtituerent, & ſub Tribuno eſſent. Miniſtri autem Judæorum erant, ut expreſſe in Euangelio legitur. Quinam potius ligare, comprehendere, & du-

& ducere, Chriſtum debebant, milites, an miniſtri? Profecto miniſtri, & quia ipſorum hoc erat munus; & quia eorundem magis intererat, quam militum, ut Chriſtus cautius duceretur. Milites autem erant ex gentibus, miniſtri ex Judæis.

Vim quoque faciunt, quæ Chriſtus ipſe iis dixit, qui ſeipſum comprehendebant. *Dixit autem Jeſus ad eos, qui venerunt ad ſe, Principes Sacerdotum, & magiſtratus templi, & Seniores: Quaſi ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus. Cum quotidie vobiſcum fuerim in templo, non extendiſtis manus in me.* Hæc quidem Chriſtus militibus, qui Pilato ſuberant, non dicebat, quum hi nunquam in templum convenerint. Dicebat autem Judæis, a quibus captus fuit, vinctus, & ad Caipham ductus. Unde Cornelius a Lapide: *Secundo, quod captus ſit ab hominibus viliſſimis, peſſimis, ſibique inimiciſſimis, quales erant Scribæ, & Judæi.* Idem Cornelius, explicans militum cohortem, & Sacerdotum miniſtros, hæc addit: *Porro turbam hanc fuiſſe mille militum, & inſuper plurium ſatellitum, & miniſtrorum, Pontificum, liquet ex Joanne cap.*18. 12. ubi ait: *Cohors, & Tribunus, & miniſtri Judæorum, comprehenderunt Jeſum, & ligaverunt eum. Cohors enim continebat mille milites. Unde pro* Tribunus *græce eſt* χιλίαρχος, *ideſt Præfectus mille militum.*

Enarrans inſuper Matthæus barbaram miniſtrorum in Chriſtum ſævitiem, quum in ejus faciem expuerunt, & colaphis eum cæciderunt, ſuperaddit: *Alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt, qui te percuſſit?* Hos omnes Judæos fuiſſe, ex laudato Cornelio habemus: *Poſtquam Caiphas cum Concilio noctu Chriſtum reum mortis proclamavit, illi quaſi blaſphemo & damnato inſultarunt*

runt per totam reliquam noctem; teſte S. Auguſtino lib. 3. de conſenſ. Euangeliſt. c. 6., ſcilicet per tres horas, Pontificis & Principum miniſtri, nonnulli etiam ex miniſtris. Cæteri vero ſoluto Concilio quieti & ſomno ſe dederunt, mane ad Concilium redituri, ut cauſam mortemque Chriſti peragerent. Quo circa Chriſtus tota reliqua nocte variis & atrocibus injuriis, doloribuſque, ex odio Judæorum, & petulantia famulorum, affectus, afflictuſque fuit.

Hîc quidem nulla militum eſt mentio, nullum eſt verbum cohortis; non Tribunus, non Centurio, non Præſes, nominantur. Igitur ex Judæorum petulantia, & ex miniſtrorum quoque inſolencia, qui Judæi pariter erant, contumeliæ, percuſſiones, & dolores Chriſti, provenerunt. Et in omnibus prædictis locis hoc ſane obſervandum eſt, quod quum de miniſtris agitur, de miniſtris quidem Principis Sacerdotum, non autem de miniſtris Præſidis, ſacra pagina loquitur. Aut milites, aut miniſtros, in Chriſti comprehenſione enunciat; ſolos miniſtros in Chriſti afflictione apud Annam, & apud Caipham, nominat. Milites, quum eſſent cohortis, & ſub Tribuno, Præſidis erant; miniſtri autem expreſſis verbis ſacer textus aſſerit, quod miniſtri erant Judæorum.

Quod ut manifeſtius videatur, obſervemus verba illa Matthæi; *Et poſt puſillum acceſſerunt, qui ſtabant, & dixerunt Petro: Vere & tu ex illis es; nam & loquela tua manifeſtum te facit.* Hi miniſtri erant, ſed Judæorum; non enim miniſtri Præſidis, qui Gentiles fuiſſent, Galilæorum linguam intellexiſſent. *Miniſtri enim*, ait Cornelius a Lapide *intenti in Jeſum, ejuſque examen ad oſtium auſcultantes, minus intendebant Petro; ſed mox reverſi ad ignem, intendentes in Petrum, eum tertio*

tio tentarunt, & ad tertiam negationem compulerunt. Cauſam attulerunt; nam & loquela tua manifeſtum te facit; ſcilicet te eſſe Galilæum, Jeſu Galilæi diſcipulum; quia eo accentu, dialecto, ac proprietate verborum loqueris, quo loquuntur Galilæi; ſicut in Italia alia dialecto loquuntur Romani, alia Neapolitani, alia Veneti, etſi omnes loquantur italice. Hanc autem dialectorum diverſitatem nequit diſcernere Græcus, vel Germanus, vel Anglus, ſed ſolus Italus, qui ſit in itala lingua vel natus, vel educatus. Hujuſcemodi tamen non erant Præſidis miniſtri, qui Gentiles erant; ſed miniſtri Judæorum, qui & Judæi quoque habebantur.

Si ergo Judæorum miniſtri fuerunt, qui Chriſtum in horto comprehenderunt, qui vinctum ad Pontifices duxerunt, qui colaphis, fuſtibus, & pedibus percuſſerunt, & apud Annam, & apud Caipham; dicendum eſt quoque eoſdem fuiſſe, qui eum in Prætorio flagellarunt, & in Calvario crucifixerunt. Quum enim in Euangelio nulla aliorum miniſtrorum, quam Sacerdotum, mentio reperiatur; conſonum eſt profecto, ut, ſecundum genuinam Euangelii intelligentiam, ab iiſdem dicatur Chriſtus & in Prætorio percuſſus, & in Calvario mortuus.

Ulterius progreditur Dominicus Martyre in ſuo M. S., aſſerens, ſacrum Magiſtratum, qui pro Religionis rebus adhuc in Judæa perſeverabat, ad templi præcipue cuſtodiam, etiam ſub ſe milites habuiſſe. Quod ex eo colligi poſſe judicat, quod Judæis, a Pilato milites petentibus, ut Chriſti corpus in ſepulcro cuſtodirent, Pilatus reſpondit: *Habetis cuſtodiam, ite, cuſtodite, ſicut ſcitis*; ut legitur Matth. 27. 65. Arabicus vertit apud Cornelium a Lapide in hoc loco: *Apud vos ſunt cuſtodes, ite, & claudite ſepulcrum, ſicut ſcitis.*

 Nos

Nos tamen non latet, milites, ad ſepulcri cuſtodiam miſſos, non infimæ notæ Scriptoribus conſtaſſe, non Judæos, ſed Gentiles fuiſſe. Cornelius a Lapide citatus, ad verba illa, *habetis cuſtodiam*, addit: *Cuſtodiam ſcilicet militum, ideſt cuſtodes milites; quaſi dixiſſet, habetis milites a me heri deputatos, vobiſque datos ad Jeſum crucifigendum, eumque in cruce uſque ad mortem cuſtodiendum: Nunc concedo, ut iiſdem utamini ad cuſtodiendum eum jam ſepultum*. Et quia milites ſolos ad cuſtodiam nolebat, ideo adjungit, ut & ipſi quoque Judæi ſepultum cuſtodirent. *Cuſtodite ergo eum ſicut ſcitis; ideſt optima ratione, & modo, quem noſtis: Quaſi dicat, modum cuſtodiendi veſtræ ſcientiæ & prudentiæ permitto, ego amplius huic cauſæ immiſcere me nolo. . . . Pro habetis græce eſt, ἔχετε, quod alii vertunt, quaſi imperativum, habete; ideſt accerſite Cuſtodes. Nervoſius noſter vertit, in præſenti, habetis; jam enim habuerant milites cuſtodes Chriſti in cruce, quos Pilatus eis dederat.*

At quis perhibere prohibet, tam in coronatione, quam in cuſtodia, ſimul cum Judæis miniſtris Romanos quoque milites fuiſſe adhibitos? Judæi autem, quia Romanis ſubjecti, quia Sacerdotum miniſtri, viliora officia exercuerunt, flagellationem ſcilicet, & crucifixionem. Milites vero Romani coronarunt, ut illuderent; illuſerunt, ut delectarentur; non autem flagellarunt, nec crucifixerunt eum, quanvis flagellationi, & crucifixioni adſtantes, & aſſiſtentes fuiſſent. Dicere autem, quia quum reus religionis violatæ criminis haberetur, ad Sacerdotum miniſtros eum punire ſpectabat; nil ad rem facit, quia reum etiam majeſtatis læſæ eum fecerant, quando dixerunt, Cæſari prohibuiſſe dari cenſum, & ſe Judæorum Regem pu-

bli-

blicaſſe. Denique Romani milites cuſtodierunt mortuum in ſepulcro, propter majorem, quam in populo habebant, auctoritatem; cæterum illis in Chriſtum nec odium inerat atrox, nec invidia furens, ut Judæos ſuper omnes angebat.

Sed quid dicemus ad illa, quæ Judæi Pilato reſponderunt: *Nobis non licet interficere quemquam?* Ad quæ verba Joan. 18. Cornelius a Lapide ſubjungit: *Hinc videtur, quod Romani Judæis, utpote jure belli ſubactis, abſtulerint jus damnandi, & morte plectendi reos, illudque ſibi vendicaverint; hoc enim omnino hæc eorum verba ſignificabant. Ita Rupertus, S. Thomas, Janſenius, Suarius, & alii.* At aliud eſt ad mortem damnare, quod jus poteſtatis in eo, qui damnat, importat; aliud mortis ſententiam exequi, quod ſervitutem in eo, qui exequitur, manifeſtat. Pilatus utique Chriſtum ad mortem damnaverat, at Judæi ſententiam Pilati exequutioni demandaverunt; quod quidem in ipſis nec jus, nec imperium, nec poteſtatem enunciat.

§. IV.

Romani Milites Chriſti comprehenſioni, flagellationi, coronationi, ac crucifixioni, interfuerunt.

Romanos milites, hoc eſt illos, qui ſub Romanorum ſignis militabant, & ſub Romano Præſide merebant; quorum nationem, quia incertiſſima eſt, quum non omnes ex una gente fuerint, non perquirimus;

Digitized by Google

mus; & quia etiam inviſa multis, & fortaſſis ſine merito, redderetur, non ſcribimus; Chriſti comprehenſioni apud Gethſemani villam interveniſſe, nuper ex Euangelio enarravimus. Apud Joannem 18. vidimus, Cohortem, & Tribunum interfuiſſe, quando Judæorum miniſtri Chriſtum comprehenderunt: *Cohors ergo, & Tribunus, & miniſtri Judæorum comprehenderunt Jeſum*. Apud eundem etiam obſervavimus, Judam accepiſſe Cohortem, hoc eſt milites præſidiarios, quos a Pilato Judæi petierant, & a Principibus Sacerdotum, & Phariſæis miniſtros, ut Chriſtum caperet, & ad Annam, & Caipham, vinctum duceret: *Judas ergo cum accepiſſet cohortem, & a Pontificibus, & Phariſæis miniſtros, venit illuc.* Romani ergo milites Chriſti comprehenſioni apud villam Gethſemani abſque dubio interfuerunt.

Flagellationi vero, præter Judæorum miniſtros, milites etiam Pilati aſtitiſſe, & flagella etiam tractaſſe, ex Euangelio colligit Cornelius a Lapide. *Tunc milites Præſidis ſuſcipientes Jeſum in Prætorium, congregaverunt ad eum univerſam cohortem*. Verba ſunt Euangelii Matth. 27. ad quæ ſubdit Cornelius: *Tunc refert non ad tò tradidit eis, ut crucifigeretur, nam ante damnationem & traditionem Chriſti hæc contigere, ut dixi, ſed ad tò flagellatum; græce enim* φραγελλώσας, *ideſt cum flagellaſſet; quaſi dicat, milites flagellantes Jeſum, mox eum ſpinis coronarunt*. Milites ergo ex Cornelio, non ſolum flagellationi aſtiterunt, ſed etiam ipſi flagellarunt; non quidem fit mentio de Pilati miniſtris, ſed tantum de militibus; quod quomodo ſit factum, hîc breviter enarramus.

Gellius lib. 10. antiquarum lectionum cap. 5. aſſerit, quod quando rei, Romanorum more, flagellaban-

bantur, per miniſtros, qui Apparitorum nomen habebant, & quos Nicephorus appellat, *carnifices ſanguinarios*, ad columnam ligabantur. Reo autem ad columnam alligato primus ad flagellandum erat Tribunus, ſeu Dux cohortis, qui vix tantum attingebat damnatum; quod ubi factum erat, omnes, qui in caſtris inveniebantur, cædentes fuſtibus damnatum conficiebant. Unde Paulus de Palatio in cap. 27. Matth. pro certo tenet, Jeſum a cohortis Tribuno prius fuiſſe percuſſum; poſt quam percuſſionem omnes, qui in caſtris erant, percuſſerunt, licet Chriſtum non confecerint. Et videtur quoque ex illo Joannis 19. colligi: *Tunc ergo apprehendit Pilatus Jeſum, & flagellavit*; ad quæ verba teſtatur Beda, primum flagellorum ictum a Pilato fuiſſe peractum. *Primitus ipſe Pilatus flagellavit, poſt militibus tradidit illudendum*; verba ſunt Bedæ in Joann. c. 6.

Ex quibus apparet, quod qui Chriſtum flagellis confecerunt, miniſtri fuerunt, non Romanorum, ſed Judæorum, ut dictum eſt; quum milites id tantum ex munere ad pompam peregerint, miniſtri vero ex officio, ex odio, ex ſævitia, pene ad mortem. Natalis ab Alexandro in Euangelium Joannis c. 19. ſcribit, Pilatum flagellaſſe Chriſtum per lictores ſuos, quos quidem lictores fuiſſe Pilati milites aſſerit: *Apprehendit Pilatus Jeſum, & flagellavit, per lictores ſuos, ſeu milites prætorianos*. Poſſumus non incongrue ſua verba explicare ſecundum ordinem, nuper a nobis ex Gellio enarratum. Scilicet, quod prima flagella a militibus, ulteriora a miniſtris Judæorum, darentur. Quomodo autem milites prætorianos lictores nominet, ſi lictores militiæ honore privati dicebantur, non eſt facile interpretari. Niſi velit inferiores exercitus milites li-

ctores fuiſſe; at hanc diſtinctionem ipſe non facit, nec nos eam faciendi libertatem aſſumimus. Cæterum poſſet etiam non abſque ratione dici, quod milites, quando flagellabant, etſi ad pompam flagellarent, lictorum partes egiſſe, & potuiſſe lictores quodammodo appellari.

Quod Romani Milites coronationem perfecerint, ex Euangelio conſtat manifeſte: *Tunc Milites Præſidis ſuſcipientes Jeſum in Prætorium, congregaverunt ad eum univerſam cohortem.* Ad hæc citatus Cornelius ſcribit: *Cohors hæc erat Prætoria; quæ ſcilicet Prætorem Pilatum ſtipabat, & contra furorem populi, & hoſtium inſidias, muniebat. Quare cohors hæc erat in arce Antonia, quæ media erat inter prætorium, & templum; ut, ſi alterutro in loco tumultus orietur, illico accurreret, eumque compeſceret.* En milites, & milites quidem cohortis prætorianæ, qui Chriſtum ſpineo ſerto coronant: *Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum.* Ad quæ Cornelius: *Chriſtus quaſi fictus Rex Judæorum, ad ludibrium, & ad tormentum, coronatus fuit ſpinis, ex militum petulantia, Pilato non jubente, ſed permittente, ut facilius Chriſtum omnino deformatum Judæorum commiſerationi objiciens, a morte liberaret.* Et poſt pauca ſubdit: *Cauſa hujus coronæ ſpineæ literalis fuit, ut milites Chriſtum quaſi falſum regem Judæorum illuderent, & cruciarent.*

Milites autem iſti abſque dubio fuerunt, & non lictores; tum quia lictorum non erat munus hoc facere, tum etiam, quia ſemper milites, & nunquam miniſtri, in Euangelio dicuntur. Milites inſuper fuerunt, qui univerſam cohortem ad Prætorium congregarunt;

runt; vel quia cohorti ſuperiores erant, vel quia ad illos ſpectabat cohortem congregare. Non ergo milites infimæ notæ erant, quales eſſe debuiſſent, ſi lictores fuiſſent. Milites quidem erant, aut ordinis ſupra cæteros ſuperioris, vel ſaltem cum cæteris æqualis. Iidem autem fuerunt milites, qui Chriſtum flagellarunt, & milites, qui eum coronarunt; ut nuper cum Cornelio ex verbo illo *tunc* deduximus. Non ergo milites, qui Jeſum flagellarunt, fuerunt conditionis ſic imæ, ut lictores ſimul fuerint, & milites. Et quia coronatio non erat actio ſervientium, quemadmodum erat flagellatio; quia iſta fiebat ad pœnam, illa ad ludibrium; ideo coronatio ſolis militibus, flagellatio vero militibus Romanorum, & Judæorum miniſtris, adſcribitur.

Denique milites, qui Chriſtum coronarunt, fuerunt pariter iidem, ac milites, qui Chriſtum crucifixerunt. Subdit enim Matthæus: *Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis ſuis, & duxerunt eum, ut crucifigerent*. Ad quæ ait Victor in cap. 15. Marci: *Ubi milites ad ſatietatem uſque Chriſtum Redemptorem noſtrum ludibrio habuerunt, adduxerunt eum, ut crucifigerent*. Inſuper illi iidem milites, qui Chriſtum cruci affixerunt, Chriſti etiam veſtimenta inter ſe diviſerunt. Unde additur in Euangelio: *Poſtquam autem crucifixerunt eum, diviſerunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes: ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Et Joannis 19. 23. dicitur: *Milites ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum.*

Di.

Dixerunt ergo ad invicem: non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa, cujus ſit.

Quando de hac veſtium diviſione Scriptores loquuntur, nec verbum de lictoribus faciunt, ſolummodo milites enunciant. Unde S.Athanaſius ſer. de cruce ſcribebat: *Suſpenſus enim ut homo, principatus perſequebatur, ipſum diabolum comprehendit, ac milites terruit, ne ſcinderent tunicam, ut hac manente maneret, & quæ paulo poſt facta eſt adverſus Judæos redargutio; quoniam velum quidem ſciſſum eſt; tunica vero Servatoris ne a militibus quidem ſciſſa eſt, ſed manſit integra.* Et inter pauca idem S. Doctor ſubnectit: *Milites veſtes Chriſti dividunt in quatuor partes, eo quod pro peccatis mundi quadrifariam diviſi, ad exortum, occaſum, ſeptentrionem, ac meridiem, geſtabat illa.* Hoc autem feciſſe milites ad ignominiam Chriſto augendam, & afflictionem, docet Cornelius a Lapide in cap.27.Matth. verſ.35. *Fuit hæc inſignis Chriſto ignominia & afflictio, quod coram ſe videret inſolenter veſtes ſuas a militibus lacerari, & alea jacta ſorte dividi.* Hinc Chryſoſtomus ex hac veſtium diviſione, non dividentium vilitatem, ſed in Chriſtum vilitatis ignominiam objectam, colligit: *Veſtes inter ſe partiuntur, quod in condemnatis vilibus, & abjectis fieri ſolet, ac omnino deſtitutis.*

Ex aliis verbis, quæ Euangelium ſubdit, colligitur quoque, milites hoſce non fuiſſe lictores. Si enim lictores fuiſſent, poſt expletum munus, poſt diviſas veſtes, abiiſſent, nec in Calvario ulterius morati eſſent, vel ad Chriſtum obſervandum, vel etiam ad cuſtodiendum. Hoc nanque munus erat militum, non lictorum; quorum tantum erat officium cruci reum affigere, & veſtimenta reportare. At in Euangelio

legimu

legimus, quod milites, qui Chriſtum ſpineo ſerto coronaverant, qui eum ad crucifigendum duxerant, qui ejus veſtimenta diviſerant, poſtmodum *ſedentes ſervabant eum*; ut legitur Matth.27. 36. Ad quæ Cornelius citatus ſcribit: *Milites cum Judæis ſervabant Jeſum, ne quis e diſcipulis, vel fautoribus, eum e cruce deponeret, ne vel ipſe per miraculum e cruce deſcenderet. Verum Dei conſilio id alio fine fiebat, quem ipſi ignorabant. Nam, ut ait S. Hieronymus,* diligentia militum, & Sacerdotum, nobis profuit, ut major & apertior reſurgentis virtus appareat: *Milites enim, & Judæi, viderunt eum in cruce morientem; quare cum poſtea redivivus multis apparuerit, neceſſe eſt, ut fateantur, eum vi divina a morte reſurrexiſſe.*

Quod autem in Chriſti crucifixione opera Judæorum, qui miniſtri erant Pontificum, & Sacerdotum, Milites uſi fuerint, non abſimile videtur; tum quia credendum eſt, quod illi ultro ſe eis obtulerint, ut acriora Chriſto vulnera infigerent, & ignominiam inſolentius irrogarent; tum etiam, quia fortaſſis milites parum ad hoc idonei, illos, qui peritiores ad ferale munus erant, requiſierunt. Miniſtri autem Judæorum, ſævitia in Chriſtum exercita contenti, non aliam poſtularunt mercedem, ſed Chriſti veſtes omnes militibus reliquerunt. Unde Cornelius, mox laudatus, ad verba illa, *& ſedentes ſervabant eum*, dicebat, *quod milites cum Judæis ſervabant Jeſum.* In Calvario autem Principes Sacerdotum, Scribæ, & Seniores, reperiebantur, ex Euangelio, qui Chriſtum illudebant. Quid ni etiam cum illis miniſtri eorum eſſent, ut Chriſtum cruci, ex Sacerdotum deſiderio, & ex militum licentia, affigerent?

Milites autem, ut paulo ante dicebamus, non

unius nationis erant; quod paſſim in exercitibus videmus, qui ex diverſarum gentium hominibus coaleſcunt. Maxime apud Romanos, qui tot tantiſque provinciis tunc temporis principabantur; unde ex iiſdem milites advocabant, qui ſub ſignis ſuis militarent. De duobus modo vidimus, unum fuiſſe, juxta Scribentium placita varia, incertæ nationis; & pari etiam modo alterum; certo autem neutrum fuiſſe Brutium. Quis ergo aliorum, quorum nomina ignorantur, invenire poterit patriam, ſi illorum, quorum munera ſciuntur, & nomina quodammodo inveſtigantur, nec natio certo ſcitur?

§. V.

Cardinalis Baronii pro Brutiis teſtimonium a nuperi Scriptoris Galli ſugillatione vindicatur.

QUam peſſime habeat nuperus Scriptor Gallus Cardinalis Baronii pro noſtra gente auctoritatem, in prima hujuſce Diſsertationis parte §.I. vidimus: Modo quam frigide, & quam debiliter, ejuſdem rationibus occurrat, videndum ſupereſt. At, ut hæc omnia firmius & clarius fiant, Baronii verba primum hîc referre congruum ducimus, & poſtmodum Scriptoris Galli verba iterum recitare. Sic porro eveniet, ut facilius impugnantis technas detegere poſſimus, & ampliſſimi Scriptoris rationum momenta propugnare efficacius valeamus.

Baronius ergo ad annum 34. hæc ſcribit: „ Poſt „ hæc vero conteſtans Pilatus, jam tertio, nullam „ in

„ in Jeſu reperiri cauſam ſatis dignam morte, aliam „ rationem ipſum dimittendi tentat; nimirum, ut quo „ Judæis aliqua ſaltem ex parte ſatisfaceret, Jeſum „ flagellis ſubjiceret, ac ſic flagellatum dimitteret. „ Apud Romanos duplex erat flagellorum uſus, quo- „ rum alterum ultimum ſupplicium præcedere con- „ ſueverat, nimirum ut cum quis capite plectendus „ eſſet, prius virgis cæderetur: alter vero, qui ad ali- „ cujus levioris delicti emendationem inferretur, non „ tamen uſque ad mortem: Licet miniſtrorum imma- „ nitate multi, etiam ſub hujuſmodi flagellis, inter- „ iiſse, reperti ſint; ut Ulpianus Juris conſultus teſta- „ tur. (*l. 8. D. de Pœnis*) Præſides Provinciarum ad „ coercendos delinquentes citra mortem, vel exilium, „ ejuſmodi pœnas, tradit Caliſtratus (*l. 6. in fin. &* „ *l. 2. D. de Pœnis*) exhibere conſueviſſe; videlicet fu- „ ſtium admonitionem, flagellorum caſtigationem, „ vel vinculorum verberationem. „

Poſt quæ verba, ad rem noſtram addit: „ Mini- „ ſtros vero, qui ad has inferendas pœnas Præſidi- „ bus miniſtrabant, fuiſſe Brutios, tradit Feſtus Pom- „ pejus, (*Feſt. Pomp. in verbo Brutiani*) & Aulus „ Gellius, (*Aul. Gell. lib.* 10. *c. 3.*) qui prædictos in „ pœnam, quod a Romanis ad Hannibalem defeciſ- „ ſent, hac ignominia notatos, ut magiſtratibus in „ provincias euntibus parerent, & ad infligenda ſup- „ plicia delinquentibus ſuam operam exhiberent. Pi- „ centes vero, quod ad eundem Hannibalem defeciſ- „ ſent, Romana Civitate privatos, loco militiæ cur- „ ſores ac tabellarios eſſe, eoque munere reipublicæ „ inſervire damnatos, auctor eſt Strabo. (*Strabo lib. 5.* „ *in fin.*) An vero a prædictis fuerit Chriſtus flagella- „ tus, aſſerere non auderem. Nam alicubi, ut in Ægy-

„ pto, diverſorum miniſtrorum id erat munus; ſiqui-
„ dem honoris cauſa, qui erant Alexandrini, non a
„ prædictis Præſidum lictoribus, ſed tantum ab Ale-
„ xandrinis, virgis cædebantur; cæteri vero Ægyptii
„ a communibus Præſidum apparitoribus hiſce pœnis
„ afficiebantur, ut Philo teſtatur. (*Philo in Flacc.*) Sed
„ ut Brutios hac calumnia omnino reddamus liberos,
„ dicimus, quod ſi olim Brutii ejuſmodi fuerint ad-
„ ſcripti muneribus, tamen poſtea & cæteris cujuſque
„ regionis militibus conſtat ceſſiſſe officium, ut ex le-
„ ge, juſſu Judicum, ſontes punirent. Certe quidem
„ non de Brutiis tantum, ſed de omnibus militibus lo-
„ quitur Tertullianus, (*Tertullian. de coron. milit.*
„ *c.* 11.) dum diſſuadens homini chriſtiano, ne mili-
„ tet, hæc ait: *Et vincula, & carceres, & tormenta,*
„ *& ſupplicia adminiſtrabit, nec ſuarum ultor injuria-*
„ *rum*. Sic igitur cum hæc factitari ſolita indiſtincte
„ a cujuſque nationis militibus ille demonſtret; nihil
„ eſt, quod magis Brutiis, quam cæteris, Chriſto il-
„ latæ pœnæ, atque crucifixio, adſcribantur. „

Juvat modo referre verba, quibus Scriptor Gallus ampliſſimi Patris teſtimonium dehoneſtat, & florentiſſimi populi decorem deturpat. Baronii ſenten-
„ tiam referens, hæc ſcribit: „ Non me fugit, Car-
„ dinalem Baronium, ut Brutiorum gratiam deme-
„ reretur, auſum non fuiſſe aſſerere, Chriſtum ab iis
„ flagellis cæſum, & cruci ſuffixum eſſe. At dum Bru-
„ tiorum famæ conſulit Scriptor Eminentiſſimus,
„ haud ſatis conſulit ſuæ. Eas enim, ut Brutios infa-
„ mia liberet, rationes affert, quæ minus profecto
„ congruunt, ac etiam contrarium evincunt. Nimi-
„ rum, ait ille; Alexandrinos in Ægypto honoris
„ gratia, non a Brutiis lictoribus, ſed a ſuis popula-
ribus,

Digitized by Google

„ ribus, virgis cæſos fuiſſe ſolitos, ubi id judiciorum „ ratio poſtularet. Addit ætate Tertulliani non ſolos „ Brutios ferali huic miniſterio fuiſſe deſtinatos, ſed „ cæteros cujuſque nationis milites, ut ex illius libro „ de Corona militis liquet. „

Poſtque, Baronii rationes expungens, inquit: „ Sit ita porro, ut Baronius obſervat; quid hoc, quæ„ ſo, ad Chriſti flagella, atque ſupplicia, ne & ipſe a „ Brutiis cæſus dicatur, & crucifixus? Cum Chriſtus „ Alexandrinus non fuerit, ut eo privilegio frueretur, „ ſed Galilæus, nec in Ægypto cæſus & crucifixus ſit, „ ſed in Judæa. Imo, inquio ego, ſi Alexandrinorum „ hoc erat privilegium, ut non a Brutiis, ſed a ſuis po„ pularibus cæderentur; argumento eſt, cæteros, at„ que ita Judæos, a Brutiis lictoribus, pro more & „ uſu Romanorum, fuiſſe flagellis cæſos, extremo„ que ſupplicio affectos, ubi eſſet lata ſententia. Fa„ tendum itaque bona fide, quod res eſt, ſemotiſque „ regionum affectibus, id ſimpliciter aſſerendum, „ quod Scriptorum, omni exceptione majorum, te„ ſtificatione, compertum eſt; Brutios Chriſti tor„ tores, atque carnifices fuiſse. „

Mitius agere potuiſſet cum ampliſſimo Cardinali, eoque doctiſſimo in primis, ac pientiſſimo, religioſus Auctor; & non eum tam libere, quam licenter, vel aſſentationis, vel malæ fidei, vel oſcitantiæ, culpa inſimulare. Quid enim ſibi vult, Baronium in ſcribendo ſtuduiſſe, non ut hiſtoriæ veritatem aſſequeretur, ſed ut Brutiorum mereretur gratiam & favorem; quam Scriptorem gravis fidei, illuſtris notæ, ac incorruptæ auctoritatis, unice calamum mendacio devoviſſe? Eſt ne vitium hoc tolerandum, aut potius credendum, in eccleſiaſtico Scriptore, in Eccleſiæ Principe? Non ſunt

ſunt ergo Brutii ita vulgaris notæ homines,ut Scriptor Gallus intendit, quum ad eorum captandam gratiam, vir tantus, doctrina, pietate, ac dignitate, fulgens, veritati hiſtoriæ contradixerit. Quid ſonat amplius, Baronium famæ ſuæ non conſuluiſſe, quam eum facere, vel in ſcribendo non ingenuum, vel in aſſerendo ſimulatorem? Denique eſt ne aliud, Baronium rationes afferre, quæ minus profecto congruant, & quæ contrarium evincant, quam eundem vel ignorantiæ, vel antilogiæ, accuſare? Hac virtutis laude Scriptor Gallus eminentiſſimum Annalium Parentem cumulavit; qua juſtitia, quave injuria; vel potius, ſi modeſtia, quam præſefert illuſtris Ordo, quem profitetur; ſi doctrina, quam meretur Academia, quæ eum complectitur; ſi denique ſinceritate, quam ſacro characteri debebat, quo inſignitur; æqui rerum æſtimatores facili negotio judicabunt.

Sed ad rem propius accedamus. Rationum momenta, quæ ad hiſtoricam veritatem confirmandam, Baronius excogitavit, nuperus Scriptor Gallus, vel ſilentio præterit, vel non ſatis ſolide confutat: Siquidem ad ea, quæ ex Tertulliano proferuntur, nec verbum reponit. Illud inſuper, quo antiquatum ſcribit in Brutiis lictorum munus, & ad omnes cujuſque regionis milites tranſiſſe, nec memorat; etſi nec nos hoc ipſum Baronio concedamus, ut ex dictis in prima Diſſertationis parte liquet. Alexandrinorum exemplum, quum negare non poſſit, nititur exſtenuare. Aſſerit fuiſſe illud Alexandrinorum privilegium, ad cæteros aliarum gentium homines, ac proinde nec ad Chriſtum, qui Galilæus erat, minime extendendum. Certe ad cæteros Ægyptios non extendebatur, quum a communibus Præſidum apparitoribus cæderentur.

At

At nihilominus exemplum hoc firmat indubitanter, non ubique gentium unius nationis homines, vel lictores, vel lorarios, vel carnifices, vel tortores, fuiſſe. Privilegium autem, quod pro Alexandrinis cæſis a Scriptore Gallo excogitatur, Alexandrinis cædentibus privilegium certo non erat. Et ſi erat, uno, eodemque privilegio, ejuſdem regionis homines, eodem tempore, & ad honorem, & ad opprobrium, potiebantur. Equidem Alexandrinis privilegium erat, quod Romani ipſi non habebant.

Carnifices, Romani cives eſſe non poterant, nec domicilium in urbe habere, ut in §. 5. primæ Diſſertationis hujuſce partis obſervavimus. Alexandrinis autem hoc inerat privilegium, ut eſſent. Apud Ciceronem Phil. 13. 12. habemus ſervum publicum, qui carnificis officio fungebatur, & natione Germanus erat. *Ad quem interficiendum miſſus cum gladio ſervus publicus, natione Germanus*. Apud Plinium Secundum, de viris illuſtribus, legimus, ad occidendum Cajum Marium, percuſſorem Gallum ad carceres acceſſiſſe. *Inventus, & in carcerem conjectus, immiſſum percuſſorem Gallum vultus authoritate deterruit*. Romani ergo privilegium non habebant, ut a Romanis cæderentur, quo Alexandrini, ab Alexandrinis percuſſi, potiebantur.

Certe Marius, etſi Arpinas nativitate, Romanus tamen Civitate fuerat, ſepties Conſulatus honore functus, ac primis reipublicæ muneribus exornatus. Et nihilominus non eſt habitus hoc privilegio dignus, ut a Romano percuſsore cæderetur; ſed nec a Brutio, aſt tantum a Gallo. Si ergo hæc privilegia Romanis non erant, nec aliarum gentium hominibus eſse poterant; maxime quod privilegia hujuſcemodi ſi ex una parte

illos

illos honore afficere videbantur, ex altera certiſſime dehoneſtabant. Nec pariter veriſimile videbatur, in provinciis carnifices fuiſſe Brutios, in urbe autem fuiſſe Gallos.

At nec per hoc Gallis opprobrium objicere volumus, quum omnium gentium homines in honore habere profiteamur. Exprimere hoc tamen intendimus, munera illa, vilia ſane, indecora, at homuncionibus utilia, non nationibus, ſed hominibus commiſſa, ut modo committi ſolent; adeoque non vitio vertendum toti genti, vel patriæ, quod eadem aliquis ejuſdem gentis, vel patriæ, exercuerit; quando potiſſimum fere omnium gentium homines ea exercuiſſe, vel exercere, videamus. Nec ipſimet Boji, quos in prima Diſsertationis parte diximus, damnatos, ut carnifices eſsent, diutino tempore hac ignominia notati apparent; quum de iiſdem, apud poſteriorum temporum Scriptores, nulla mentio reperiatur. Pœnæ illæ, etſi veræ, tractu temporis antiquantur; nec majorum culpas, quando eſsent, juſtitia unquam pateretur, ut remotiſſimi poſteri deplorarent.

At ad Baronium redeamus. Aſſerit hic etiam ex Strabone, Picentes quoque, quod ad eundem Hannibalem deſcivisſent, fuiſse Romana Civitate privatos, & militiæ loco damnatos, ut curſores, & tabellarii, eſsent, eoque munere reipublicæ deſervirent. Pauca diximus de Picentibus in prima Diſsertationis parte, §. IX. ulteriora hæc ſubnectamus.

Picentes, ex Strabone, apud Ambroſium Calepinum, verb. *Picentes*, ſunt duplices; *hoc eſt, qui ad mare hadriaticum incolunt Picenum, & qui ad mare Tyrrhenum inter Campanos & Lucanos ſiti ſunt, ambo Picentes & Picentini dicti*. Ad verbum autem *Picentini*,

tini, Calepinus addit: *Populi ad mare Tyrrhenum, Lucanis proximi, inter Surrentinum promontorium, & Silarum amnem, incolentes, a Picentibus, maris Hadriatici accolis, originem trahentes. Strab. lib.6., & Plin. lib.3. c.5.* An primi generis, an ſecundi, Picentes ad Hannibalem defecerint, illaque pœna mulctati fuerint, Baronius non ediſſerit. Diſtinguit tamen Strabo, in citato §. IX. primæ partis, relatus; & Picentes ad Tyrrhenum mare, non illos ad Hadriaticum, expreſſe nominat.

Certum nihilominus eſt, ſi vera, & non commentitia, pœna illa fuerit, eam per multum temporis non duraſſe; quod nobis manifeſtum facit, nullam de ea apud Scriptores poſterioris ævi memoriam haberi. Cur igitur Brutiorum pœna, ſi ea vera fuiſſet, poſt tantum temporis intervallum, perduravit, quando, quum illis eadem culpa ac Picentibus fuerat, Picentum tamen pœna deſierat? Cur Brutiis defectio illa fabuloſa probro datur, & non Picentibus identidem, quando de utraque Scriptores, ſi iiſdem habenda ſit fides, æque loquuntur? Cæterum Strabo, ſupra adductus, eandem pœnam, quam Picentibus illatam aſserit, Brutiis & Lucanis enuntiat fuiſſe inflictam; ſcilicet, quod viatores, & tabellarii, non autem lictores, tortores, & carnifices, eſsent.

Denique Tertulliani teſtimonium expendimus. Ait Tertullianus lib. de corona militis cap.11. *Et vincula, & carcerem, & tormenta, & ſupplicia, adminiſtrabit, nec ſuarum ultor injuriarum.* Igitur cuique militiæ nomen danti munus imponebatur tormenta & ſupplicia reis adminiſtrandi. Gellius lib.10. antiquarum lectionum cap.5. addit, quod ſuperius retulimus, reos, qui Romanorum more flagellabantur, ad columnas

 alli-

alligari ſolitos per juſtitiæ miniſtros, qui Apparitorum nomen habebant; Nicephorus autem ſanguinarios carnifices appellat. Poſt quos milites primo percutiebant, deinde lictores reum flagellabant, atque conficiebant. Verum, quæ a Gellio, & quæ a Tertulliano dicuntur, non conveniunt; quia ligare, carceribus mancipare, ſupplicia inferre, tormentis conficere, quæ a Gellio Lictoribus, a Tertulliano Militibus tribuuntur. Æque Gellius, & Tertullianus, poſt Chriſtum fuerunt; Gellius an. 112. Tertullianus an. 192. Mores tamen, non tantum hominum, ſed & populorum, mutantur cum temporibus; unde non mirum, ſi ſuccedentibus annis, uſus non conſiſtunt, & conſuetudines variantur.

Obſervamus inſuper: ſi Brutii Chriſti tortores fuiſsent, Martyrum quoque fuiſsent, qui pro Chriſto flagellabantur, torquebantur, & mortem extremo ſupplicio ſubibant. Apud nullum nihilominus ex multis, qui Martyrum acta ſcripſerunt, Brutiorum nomen legitur; & tamen lictores leguntur, carnifices, & tortores. Munus igitur Brutiorum, aut deſiit poſt Chriſti mortem, quod non eſt abſque teſtimonio dicendum, vel in Chriſti morte & paſſione non erat. Præſertim quod inter Hannibalem & Chriſtum plura ſecula, inter Chriſtum & Martyres pauci anni, interponebantur.

§. VI.

§. VI.

Gregorii a Jeſu & Maria, ex Diſcalceatis S. Auguſtini, ratiocinia expenduntur.

GRegorius a Jeſu & Maria, ex S. Auguſtini Diſcalceatis, librum italice ſcripſit, cui titulum præfixit, *Pretorio di Pilato*, quem deinde latinum reddidit Simon a Cruce, Inſtituti ejuſdem Profeſſor. In volumine ſecundo operis hujuſce par.4. lection.22.pag.94. „ n.16. hæc leguntur. „ Quoad Miniſtros, qui ad co- „ lumnam Jeſum ligaverunt, communiter aſſerunt Pa- „ tres, fuiſſe milites; & hoc ex textu S. Joannis de- „ ducunt: Apprehendit ergo Pilatus Jeſum, & flagel- „ lavit; ſcilicet per miniſtros ſuos, gloſſant Docto- „ res: Et proſequitur Euangeliſta cum particula con- „ junctiva: Et milites plectentes coronam ſpineam, „ ejuſdem impoſuerunt capiti; & in hoc nullum adeſt „ dubium. Sed advertendum eſt, ut docet Gellius „ lib.10. antiquarum lectionum cap.3. quod quando „ more Romanorum flagellabatur Reus, ligari ſole- „ bat ad columnam per juſtitiæ miniſtros, qui dice- „ bantur Apparitores, quos Nicephorus appellat car- „ nifices ſanguinarios; ſed poſtquam Reus erat liga- „ tus ad columnam, primus ad flagellandum erat „ Tribunus, ſeu Dux cohortis; qui vix tantum attin- „ gebat Damnatum; quod ubi factum erat, omnes, „ qui in caſtris inveniebantur, cædentes fuſtibus Da- „ mnatum conficiebant. Unde Paulus de Palacio 27. „ Matth. certo tenet, Jeſum a cohortis Tribuno prius „ fuiſſe percuſſum, poſt quam percuſſionem omnes,

„ qui in caſtris erant, percuſserunt, licet Chriſtum „ non confecerint. „

Poſt quæ addit: „ Qui Chriſtum ligarunt, „ fuerunt tantum juſtitiæ miniſtri, qui tunc, ut re- „ fert Gellius, lib.10. cap.3. & lib.15. in fin., erant „ Brutii. Idem ſentit Feſtus Pompejus, verbo Brut- „ tiani, & Cardinalis Baronius in ſuis Annalibus, an. „ Chriſti 34.n.85. Et ratio eſt, ut teſtis eſt Baronius, „ ut ſupra; in pœnam quod a Romanis ad Hanniba- „ lem defeciſſent, hac ignominia notatos tradit, ut „ Magiſtratibus, in Provincias euntibus, apparerent, „ & ad infligenda ſupplicia Delinquentibus ſuam ope- „ ram exhiberent. An vero a dictis fuerit Chriſtus, „ ſicut ligatus, ita flagellatus, hoc nec certum, nec „ veriſimile eſse credo. Et ratio eſt, quia tunc in fla- „ gellatione hoc munus miniſtris juſtitiæ & militibus „ indifferenter impoſitum erat, ut patet evidenter ex „ textu D. Joannis; Et Milites &c. Etiam ex Tertul- „ liano, qui lib. de coron. milit. c.11. ſuadens Chri- „ ſtiano viro ne militet, hac de cauſa id ſuadet, quia, „ ut ipſe ait: vincula, & carcerem, & tormenta, & „ ſupplicia, adminiſtrabit, nec ſuarum ultor injuria- „ rum. Ergo concludo cum Baronio, nihil eſt, quod „ magis Brutiis, quam cæteris, Chriſto illatæ pœnæ, „ atque crucifixio, adſcribantur. Legite Flavium Lu- „ cium Dextrum in ſuis Chronicis, Dionem lib.5. hiſt. „ Roman., & Titum Livium lib.35. „

Idem num. 17. hoc modo proſequitur „ Hic „ poſſet aliquis inſurgere, & dicere: De conſuetudi- „ ne in exercitibus miniſtri juſtitiæ ſolent eſse milites „ infimi, utpote timpanotribæ: Ergo verum eſt dice- „ re fuiſse Brutios, uti ſcilicet damnatos a Senatu „ Romano ad tale exercendum miniſterium; maxime

„ cum

„ cum potuerint eſſe milites, ſimulque miniſtri. Et ſic
„ non obſtat textus D. Joannis: Et milites &c. Re-
„ ſpondeo, ex ritu romano, deſuper narrato, quod nem-
„ pe Tribunus, & Dux Cohortis, Reum primus cæde-
„ bat, milites deinceps ſigillatim: Ergo cum S. Euan-
„ geliſta indefinite dicat, Et milites &c. non eſt de-
„ ſcendendum ad particulares perſonas, neque dicen-
„ dum Brutios ſolum Chriſtum flagellaſse. Unde Car-
„ dinalis Baronius, anno Chriſti ut ſupra, ait: Sed ut
„ Brutios hac calumnia omnino reddamus liberos, di-
„ cimus, quod etſi olim Brutii hujuſmodi adſcripti
„ fuerint muneribus, tamen poſtea id cæteris cujuſ-
„ que regionis militibus conſtat ceſſiſſe officium. Cer-
„ te quidem non de Brutiis tantum, ſed de omnibus
„ militibus loquitur Tertullianus. „

Igitur, juxta hujuſce Scriptoris verba, Brutii fue-
runt, qui Chriſtum ad columnam alligarunt, non fue-
runt autem Brutii, qui Chriſtum in columna flagella-
runt: pro primo teſtes affert Gellium, Feſtum, & Ba-
ronium. Quantæ auctoritatis ſint Gellius, & Feſtus,
ſuperius vidimus; Baronii teſtimonium obeſt, non fa-
vet, Scriptori huic noviſſimo, ut in ſuperioribus etiam
obſervavimus. Hîc quoque adnotare non pigeat, ter
laudari Baronium ab hoc Scriptore; primum, quan-
do aſſerit, Brutios alligaſſe Chriſtum ad columnam;
ſecundum, quando ſcribit, Brutios non flagellaſſe
Chriſtum in columna; tertium, quando dicit, Brutios
olim munera illa obiiſſe, ſed Chriſti tempore militibus
cujuſque regionis ceſſiſſe. Verum attente Baronium le-
gentibus, æqualiter innoteſcet, & a calumnia Chri-
ſtum alligandi, & ab ignominia Chriſtum flagellandi,
Brutios, per Scriptorem ampliſſimum, liberos reddi.
Non eſt ergo, cur Baronii teſtimonium in medium
pro-

proferat pro re, quam nullo tempore Baronius, nec ſcripſit, nec cogitavit.

Illos, qui Reum ligabant, ex Nicephoro, Carnifices ſanguinarios, appellat; ex aliis nominat, Apparitores. Quomodo iſta inter ſe conveniant, ex iis, quæ §. III. primæ partis, diximus, legentibus patebit. Si Carnifices ſanguinarii; ergo iidem erant, & qui ligabant, & qui flagellabant. Si apparitores; ergo & lictores; ſub apparitorum enim numero lictores continebantur. Si Carnifices, non liberantur a calumnia Brutii, ſed opprimuntur. Si apparitores, iſti fuerunt quoque liberti, & liberi, quum fuerint milites, & militum officiales, præſertim qui apparitores cohortales, & apparitores prætoriani dicebantur. Non erat ergo cur ad apparitores extra milites recurreret, quando eos quærebat, qui Chriſtum ligaverant, quum eos etiam intra milites, & inter officiales militum, facili negocio invenire potuiſset.

Aut ergo dicendum, illos eoſdem milites, qui Chriſtum flagellarunt, eundem etiam alligaſſe; aut eoſdem illos miniſtros Judæorum, qui alligationi miniſtrarunt, flagellationi quoque deſerviſſe. Brutios autem omnino immunes declarandos eſſe, & ab infamia alligationis, & a flagellationis ignominia; tum quia Gellius jam pluries convictus eſt oſcitantiæ, & Feſtus non ſemel detectus eſt exſcriptor, & conſarcinator, ut plurimum hallucinationum, & errorum; tum etiam quia Baronius fautor eſt Brutiorum, ut Scriptor Gallus eidem opponit, non adverſarius, ut hic modernus Scriptor Italus publicavit. Euangelium autem non meminit miniſtrorum, qui Chriſtum columnæ alligaverint, præter milites, qui eum enunciat percuſſiſſe. Miniſtrorum tantum meminit Pontificum, & Sacer-

cerdotum; qui profecto ſi Chriſtum in horto comprehenderunt, iidem etiam columnæ alligarunt, & in columna flagellarunt, iiſdem præſidentibus militibus, qui alligationi, & flagellationi, ex mandato Præſidis, adſtabant.

Progreditur modo Gregorius a Jeſu & Maria in eodem volumine ſecundo par. 5. lection. 9. pag. 323. num. 12. & de Chriſti Carnificibus hæc depromit, antecedenter dictis parum quidem conformia, immo etiam fortaſſis oppoſita. „ Jam ſine dubio converſionem habemus Centurionis, & Complicum, & per „ ipſam ſalvi facti ſunt. Modo perſcrutemur magis individualiter, qui fuerint iſti, qui erant cum Centurione. Communis ſententia Græcorum & Latinorum Patrum eſt, fuiſſe milites Gentiles; & ſi fidem præſtamus priſcis hiſtoriis, quas refert, & adducit. P. Salmeron in hoc loco Lucæ 23., erant natione Brutii, & religione Idololatræ, qui in pœnam, quod ſe Hannibali Carthaginenſi ſubjecerunt, fuerunt a Romanis damnati ad nil inſerviendum, niſi pro aulæ militibus, & miniſtris juſtitiæ. Hoc certum eſt, ait M. Albertus, fuiſſe miniſtros crucifixionis. „

Hîc manifeſtior antilogia, quam nuper, deprehenditur. Si ex Gregorio Brutii crucifixores Chriſti fuerunt, quia erant juſtitiæ miniſtri, ex hoc ipſo etiam debebant Chriſti flagellatores eſſe. Et ſi ipſe commentum exiſtimavit, fuiſſe Brutios juſtitiæ miniſtros, ut re vera eſt, ac proinde eos a flagellationis ignominia exemit, ex hoc quoque par erat, ut eoſdem a crucifixionis infamia liberaret. Utrunque aſſeruit pro Brutiis Baronius; & Gregorius pro primo Baronio ſubſcripſit, pro altero autem Baronio ſe oppoſuit. Priſcæ

ſcæ hiſtoriæ, quas Salmeron adducit, ſi veræ ſunt, utrunque contra Brutios probant; nos autem eas in ſuperioribus confutavimus. Proindeque, quum illæ ſint caduciſſimæ fidei, ut in Gellio, in Feſto, in Catone, in Strabone, vidimus; non eſt ratio, qua moveamur, Brutiis tribuere dedecus, quod Hiſtorici illuſtris notæ, & incorruptæ auctoritatis, adſcribere non ſunt auſi.

Equidem, ut diximus, ex Beda, quem Hugo Cardinalis refert, inter Chriſti crucifixores Centurio adnumeratur: *Centurio iſte fuiſſe unus ex Carnificibus Chriſti*. Ex Flavio Lucio Dextro, ad an.34., in ſuperioribus ſcripſimus, Centurionem iſtum fuiſſe Hiſpanum natione; alii aliter ſcribunt; Calvus, qui Brutium fuiſſe commentus eſt, jam confutatus fuit, & confutabitur. Quum ergo Centurio Brutius non fuerit, nec facile credendum eſt omnes ejus milites fuiſſe Brutios. Si non omnes Brutii fuerunt, quare ſolis Brutiis, & non aliis militibus, qui in cohorte illa reperiebantur, Chriſtum crucifigendi provincia demandata eſt? Dicent fortaſſis, hoc Brutiorum tantum fuiſſe officium, quia ad Hannibalem defecerunt? At hoc eſt in quæſtione, quod pro ratione datur. Cæterum ob commentitiam illam ad Hannibalem defectionem nec milites eſſe poterant; & hic nihilominus milites dicuntur; & quum eos milites dicant, tortores etiam fuiſſe volunt; quod nullatenus priſcis hiſtoriis conſentaneum eſt.

Et ſi tantum milites, qui erant Brutii, Chriſtum crucifixerunt, cur etiam inter crucifixores Centurio adnumeratur, qui Brutius non erat? Cur adnumeratur miles ille, qui lancea Chriſti latus aperuit, qui nec Brutius dicitur; ut in ſuperioribus oſtendimus? Duo alii

alii remanent, quum quatuor fuerint, inter quos tantum Chriſti veſtes partitæ ſunt; & duos hoſce quibus monumentis probat nobis Gregorius fuiſſe Brutios, quando alii duo ex omnibus pene Scriptoribus Brutii non fuerunt?

Verum reminiſcatur Scriptor iſte reſponſionis, quam contra illos appoſuit, qui Brutios Chriſti flagellatores aſſerebant, ex eo, quia Euangelium milites dicat Chriſtum flagellaſse. Reſponſio ſua fuit verbis hiſce compacta, quæ nos retulimus ſupra: *Cum Sanctus Euangeliſta indefinite dicat, Et milites &c. non eſt deſcendendum ad particulares perſonas, neque dicendum, Brutios ſolum Chriſtum flagellaſſe*. Eandem profecto reſponſionem dari oportebat contra illos, qui Chriſti tortores Brutios dictitabant; ex eo, quod milites fuiſſe aſſeratur, ſive apud Euangeliſtas, ſive apud Sanctos Patres. Etſi enim milites fuerint, ut ex Sanctis Patribus Scriptor iſte ait; *Communis ſententia Græcorum, & Latinorum Patrum aſſerit, fuiſſe milites Gentiles*: Quum indefinite tamen milites dicantur, ſuis verbis loquimur, non eſt deſcendendum ad particulares perſonas, neque dicendum, Brutios Chriſtum cruci affixiſſe.

§. VII.

Donati Calvi argumenta ad trutinam revocantur.

Donatus Calvus, Bergomenſis, ex Ordine Heremitarum S. Auguſtini, in ſuo Proprinomio Euangelico, Reſolutione 71., Brutiorum infeſtiſſimum ad-

verſarium aperto marte ſe profitetur. Sua verba, italico idiomate exarata, fideliter damus. „ E per ſaperlo, dobbiamo ſupporre, foſſero ſenza alcun dubbio „ miniſtri di giuſtizia; e come che in quei tempi veniſſe tal carica addoſsata a i ſoli Brutii, che ſono „ popoli abitanti nel regno di Napoli fra la Lucania, „ cioè Terra di lavoro, e la Baſilicata, detti Calabreſi, de' quali è capo la città di Coſenza, in pena, „ come ſcrivono Aulo Gellio, e Feſto Pompeo, di „ eſſerſi già alla Romana Republica ribellati; per darſi ad Annibale, dobbiamo conchiudere, foſſero di „ queſta nazione li flagellatori di Criſto, eſſendo i „ Brutii deſtinati per ſervire di miniſtri di giuſtizia in „ tutta la Romana Republica, e perciò adoprati da i „ Preſidenti delle Provincie per sì fatto eſercizio. „ Concorrono in sì fatto parere il Baronio nell'anno „ del Signore 34., e Gregorio di Gieſù e Maria nel „ ſuo Calvario, e nel Pretorio di Pilato, lettera 20.; „ benche poi l'uno e l'altro difendano i Calabreſi da „ tal'imputazione, armandoſi con queſte ragioni. „

Antequam ulteriora Calvi verba afferamus, pauca hîc ad relata verba obſervare non inopportunum ducimus. Primum eſt, Scriptorem hunc falli in Brutiorum regione deſignanda, quum dicat, Brutios conſtitutos eſſe inter Lucaniam, *cioè Terra di lavoro*, *e la Baſilicata*. Lucania eadem ac *Baſilicata*, non autem *Terra di lavoro*, quæ latine dicitur Campania; hic primus lapſus. Secundus eſt, quod Brutiorum terram prope *Terra di lavoro* conſtituat, quum ab ea longe diſtet. Eſt quidem prope Lucaniam, quia poſt Lucaniam recens Calabria in Neapolitano regno conſtituitur; aſt ultimas regni provincias complectitur. Non eſt ergo Brutiorum tellus inter aliarum provincia-

ciarum terras, quæ Neapolitanum regnum componunt, quum ſint Calabriæ ultimæ regni provinciæ. Non eſt contermina Campaniæ, quæ dicitur *Terra di lavoro*; eſt quidem finitima Lucaniæ, quæ non *Terra di lavoro*, ſed *Baſilicata* appellatur.

Tertius lapſus eſt, quod nullam inter Brutiorum terram, & magnam Græciam diſtinctionem memorat; aſſeritque illos, qui modo Calabri dicuntur, olim Brutios fuiſſe dictos. Hoc autem longe a veritate diſtat, quia qui modo Calabri appellantur, olim Brutios, & Græcos fuiſſe, Eruditis omnibus eſt compertum. Quarto errat, adnumerans inter opinionis ſuæ propugnatores Baronium, & Gregorium; quum iidem ſint potius ejuſdem opinionis oppugnatores. Quod deinde fatetur, eorum rationes referens; quaſi quod Auctores iſti palinodiam cecinerint, quod non erat de Scriptoribus gravibus aſſerendum. Si autem apud Calvi aliorum opiniones referre, ut Baronius, & Gregorius, præſtitere, idem ſit, ac iiſdem opinionibus aſſentiri, Legentes judicabunt. Hæc dixiſſe, non ad Scriptorem hunc Bergomenſem redarguendum, qui Calabriæ recentioris chorographiam ſcire non curabat, ſed ad rerum elucidationem, quas vel diximus, vel dicturi erimus, contenti ſumus.

Deinde rationes Baronii, & Gregorii, Calvus refert; ſcilicet ex Tertulliano, quod militum fuerit munus reos percutiendi, & ex Euangelio Joannis 19., depromptas; & has confutando ſequentia verba reponit. „ Ma queſte ragioni non eſentano a pieno i „ Calabreſi dall'impiego di eſſere li miniſtri di giuſti- „ zia, sì perche ben potevano eſſer deſcritti al rollo „ de i Soldati, e come Soldati tirar lo ſtipendio, e „ con tutto ciò eſſer carnefici, e di giuſtizia miniſtri;

„ mentre pur veggiamo a noſtri tempi, eſſer in mol-
„ ti eſerciti praticato, che li Tamburini, ed altri ſi-
„ mili tormentano i rei, e biſognando li troncano il
„ capo. Come anco perche di certo ſappiamo, che
„ quando ben'anco all'uſo de i Romani foſſe ſtato il
„ Redentore indifferentemente da i Soldati flagel-
„ lato, pur dopo aver queſti fatta una ripaſſata di
„ battiture, ſottentravano i flagellatori ſanguina-
„ rii, chiamati *ſanguinarii carnifices*, che la flagel-
„ lazione continuavano, finche ſtanchi foſſero, e
„ queſti, diremo Calabreſi, o Brutii di nazione,
„ a quali anco ſi aſpettava legar i condannati al-
„ la colonna, dal Rodigino perciò chiamati *Appa-
„ ritores*. „

Prima reſponſio Gellii teſtimonium pro fundamento habet; quod a veritate alienum quum in ſuperioribus oſtenderimus, ipſa etiam reſponſio, tanquam hiſtoricæ veritati contraria, corruit. Inſuper Gellio opponitur Calvus; quia ex Gellio Brutii militiæ honore privati habebantur; Calvus autem Brutios miniſtros, & milites, fuiſſe ſcribit. Quod ſi vere milites fuerunt, cur iis tantum, & non etiam cæteris, flagellandi munus imponebatur? Quia Brutii erant? Hoc in quæſtione eſt; quod nos tamen extra quæſtionem poſuiſſe, ex ſuperius probatis, putamus. Nec diſtinctio miniſtrorum, & militum, Euangelii, & Tertulliani, verbis aptatur; quia indefinite Euangelium de ſolis militibus loquitur; & Tertullianus omnium militum munus eſſe aſſerit flagellis reos cædendi.

Altera Calvi Reſponſio aſſerit, ſanguinarios carnifices fuiſſe Brutios; at nec quoque Euangelio conſonat. Solis militibus flagellationem Euangelium adſcribit, & non aliis, qui ſub Pilato Præſide erant. Et

ſi aliis

ſi aliis eam adſignare intendit, cur non Judæis, quorum mentio in Euangelio reperitur, & quibus nos adſcribendam eſse probavimus? Quia Brutiorum fuit pœna? Gellii commentum fuiſſe hoc in ſuperioribus oſtendimus. Non ergo reſponſionibus hiſce Baronii, & Gregorii, rationibus congruenter occurrit Calvus; nec novum quid addit, quod ulteriori indigeat confutatione.

Devenit poſtmodum ad Chriſti crucifixionem, & Brutios quoque hujuſce fuiſse miniſtros intendens, hæc addit verba: „ Quanto alla ſeconda parte del dubbio, che tocca li Crocifiſsori del Redentore, per „ neceſsaria conſeguenza ne ſeguita, che ſe a i Brutii „ era incaricato l'eſercizio di miniſtri di giuſtizia, come di ſopra abbiamo detto, parlando de' flagellatori, a medeſimi anco s'aſpettaſse dar a condannati „ l'ultimo ſupplicio, e così crederemo, che Calabreſi foſſero li Crocifiſsori di Giesù, poveri, meſchini, „ e vili, come ſi raccoglie dall'haver così avidamente „ partite tra loro le veſti del Crocifiſſo, levata la tonica inconſutile, di cui ſotto diremo: *Milites ergo,* „ *cum cruc fixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, &* „ *fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem &c.* „ Onde il dottiſſimo Bloſio dal vedere in eſſi tanta avidità, e ſpecialmente trattandoſi di veſti non prezioſe „ o ſuperbe, ma povere dozzinali, quali erano quelle „ del noſtro Criſto, conchiude, che il Redentore *vilisſimis ſcurris traditus eſt, quorum tanta erat inopia,* „ *ut veſtes ejus exigui pretii, & ſimplices, tam ſollicite* „ *& exacte diſtribuerent &c.* „

Quod ſi hæc altera ex prima infertur aſſertione, ut ipſemet Calvus fatetur, illa jam confutata, hæc etiam omnino remanet everſa. Unum tamen aut aliud ſuperaddere, ad majorem oppugnationis vim, non inuti-

inutile judicamus. Ex Beda diximus, Centurionem ex quatuor illis militibus fuiſſe unum, & nihilominus vilem, mendicum, miſerum, ſicut nec Brutium, hunc dicere nemo poteſt. Ex ipſomet Calvi, reſolut. 80. alius ex illis quatuor fuit Longinus, quem Iſauriæ natum dicit; & nec inops, indecorus, cupidus, ſicut nec Brutius, Calvo etiam auctore, fuit. Denique milites erant omnes; non ergo Brutii, ſi Gellii dictum firmum reddi, Calvus adhuc opinatur. Vel ſi milites aſſerit ſimul & tortores; aut hoc erat Brutiorum tantum, aut omnium militum, munus? Non Brutiorum, quia Gellii aſſertio corruit, qua Brutiis officium ferale tribuebatur; tum quia milites erant, quod Gellius inficiatur, tum quia duo milites erant, qui Brutii non ſunt dicti. Si omnium militum munus, cur ſolis Brutii adſcribitur, quando priores Patres nullum de Brutiis ſcripſerunt verbum, & apud Euangelium de ſolis militibus, & non de Brutiis, fit mentio? Cæterum Bergomenſis hic Scriptor ab Elia Amato, Carmelita, egregie confutatur; ut in ejuſdem Epiſtolis ad ubertatem legitur.

§. VIII.

Alphonſi Salmeronis verba recitantur, & refutantur.

ALphonſus Salmeron, e Societate Jeſu, Hiſpanus natione, eruditionis vero laude præclarus, Theologicæ facultatis conſultiſſimus, ac in omni ſcientiarum genere celeberrimus, in Hiſtoriæ Euangelicæ volumine quarto tract.29. verſ. ad tertium, hæc contra Brutios ſcripſit: *Ex quibus non improbabiliter elicimus, Bru-*

Brutios milites miniſtros fuiſſe Pilati, qui Dominum flagellarunt, & forte etiam in crucem adegerunt. Sunt autem Brutiani vel Brutii Populi, quos inde Coſentinos vocamus, cum pagis vicinis, qui ſunt, ut ferunt, ſupra trecentos. Hoc Salmeronis teſtimonium affert Gregorius a Jeſu & Maria, cujus verba in §.6. adduximus.

Verum multa ſunt in præfatis Salmeronis verbis, quæ hiſtoricæ veritati contradicunt; alia autem, quæ in §§. antecedentibus fuerunt jampridem confutata. Falſum eſt, Brutios eſſe tantum Conſentinos, quum, præter Conſentiam, aliæ etiam fuerint Brutiorum urbes, Rhegium ſcilicet, Turium, Coſa, aliæque plurimæ, ut in prima parte vidimus; quod quidem omnibus Brutiorum geographiam vel a limine ſalutantibus liquido conſtat. Falſum eſt quoque, Pilati milites fuiſſe omnes Brutios, quum ex illis quatuor, qui Chriſtum cruci affixerunt, duo ſaltem fuerint, qui certe Brutii non erant, & de aliis duobus nihil certo habetur. Si Brutios milites aſſerit Salmeron, Gellii auctoritatem nequit jure pro ſe ipſo allegare, quod etiam ſuperius obſervatum eſt. Quod nequiverint Brutii eſſe ſimul milites, & miniſtri, jam etiam in §§. ſuperioribus probavimus. Sicque omnia, quæ contra Gregorium a Jeſu & Maria, & Donatum Calvum, attulimus nuper, poſſunt etiam contra Salmeronem, ejuſque verba, replicari.

Proindeque de aliis Scribentibus, qui in operibus ſuis dictum agunt, nec verbum nos facere intendimus; jam enim rationibus adductis omnia eorum argumenta, quæ ad unum idem reducuntur, confutari facile poſſe, quiſque deprehendet. Scommatibus vero, quibus ut plurimum argumenta proponunt, nullum efficacius reſponſum, quam ſilentium, exiſtimamus. Melius

lius enim eſt chriſtiano viro, fortius eccleſiæ homini, oratione non attingere injuriam, quam illam ulteriori injuria retundere. Et quando injuriis dicteria conjunguntur, ſatius eſt homini prudenti linguæ procacitatem linguæ abſtinentia caſtigare.

Sed obſervemus rationem, qua Dominicus Martyre in ſuo laudato M.S., utitur ad oppugnandum tres hoſce Scriptores, quos in tribus præcedentibus §§. nos confutavimus. Etſi enim, ait ille, commentitia pœna, quæ Brutiis dicitur impoſita, vera fuiſſet; adhuc tamen Chriſti Domini temporibus debuiſſet aboleta omnino eſſe. Et hoc per legem Juliam, an. DCLXIII. ab U. C., datam, qua pœnæ omnes in populos in Romanæ Reipublicæ fide nutantes impoſitæ, per Senatum abrogatæ, reſciſſæque fuerunt. Igitur, ille concludit, nunquam Brutii potuerunt Chriſti Tortores eſſe; & quia tempeſtate illa Brutiorum non erat peculiare illud ferale munus, etſi aliquando fuiſſet; & quia ex omnibus gentibus poterant homines ad illud obeundum acciri, præcipue autem ex Judæis, qui capitali odio Chriſtum inſequebantur.

Attamen hæc Martyris ratio ſatis eſſet ſolida, ſi lex illa Julia, quam citat, expreſſius nominaretur, & legentibus meliori modo conſtaret. Quia tamen de illa dubitatur, & non omnibus eſt legitima, & genuina; ideo rationem non magni facimus, nec eam præcedentibus aliis præferre audemus. Nec pariter arridet nobis, Adverſariis concedere, neque per hypotheſim, Brutios aliquando infame munus illud exercitaſſe; quando nos in ſuperioribus oſtendimus, nunquam in Brutios a Romanis fuiſse pœna illa animadverſum; vel quia nec primi ad Hannibalem defecerunt, vel quia nec ultimi ab eodem receſſerunt; & ſi aliquando fuerunt

runt

runt cum illo, ſoli quidem non fuerunt, ſed cum aliis; Lucanis nempe, Campanis; Volſcentibus, Picentibus, Hirpinis, Samnitibus, aliiſque.

Pœna vero, qua a Romanis omnes iſti populi mulctati ſunt, verborum tantum fuit caſtigatio. Hujus dumtaxat pœnæ meminit Livius dec.3. lib.7.verbis hiſce: *Iiſdem ferme diebus, & ad Q. Fulvium Conſulem Hirpini, & Lucani, & Volſcentes, traditis præſidiis Hannibalis, quæ in urbibus habebant, dediderunt ſeſe; clementerque a Conſule cum verborum tantum caſtigatione ob errorem præteritum accepti. Et Brutiis ſimilis ſpes veniæ facta eſt, cum ab iis Vibius, & Pactius, fratres, longe nobiliſſimi gentis ejus, eandem, quæ data Lucanis erat, conditionem deditionis petentes veniſſent.* Hæc eadem verba Barrius lib.1. pag.43.refert; & Martyre quoque in M. S. Apage ergo Gellii commentum, omniumque illorum fallax oſcitantia, qui ipſum cæco modo ſequentes, fabulam componere auſi ſunt, aſſerentes, Brutios Chriſti Lictores fuiſſe.

Cum Bojis autem, aliiſque finitimis iiſdem populis aliter actum eſt; Livio nanque teſte, Barrius, & Marafioti ſcribunt, in eoſdem acriter Romanos animadvertiſſe. *Quare Boji ipſi, pulſo Italia Hannibale, a L. Valerio Conſ. fuſi ſunt, ac graviter a Romanis mulctati fuere; nam Lorarii, ac Lictoris, Carnificiſque, officiis attributi ſunt. Unde etiamnum ab omnibus Italis vulgari vocabulo Carnifices Boji nuncupantur, & Bojo vincula & torques damnatorum.*

Cæterum ſi Hannibalis erga Brutios, & Bojos, amorem, aut odium, inſpiciamus; primos quidem inveniemus a Pœnis percuſsos, hos vero bene habitos, atque etiam promiſſis allectos, & præmiis aliquando honeſtatos. Ejuſdem Livii verba, quæ apud Barrium

R ſunt,

ſunt; recitemus, quæ ipſos Bojos comprehendunt: *Ex caſtris Romanorum, quæ Placentiæ erant, Galli auxiliares ad duo millia peditum, & ducenti equites, vigilibus ad portas trucidatis, ad Hannibalem transfugerunt, quos Pœnus benigne allocutus, & ſpe ingentium bonorum accenſos, in civitatem quemque ſuam, ad ſollicitandos populariium animos, dimiſit.*

De Pœnorum vero in Brutios injuriis, atque damnis, hæc ex antiquis ſane Scriptoribus habemus; ex Livio: *Amilcar, Carthaginenſis claſſis Præfectus, vaſtatis Locrorum & Brutiorum agris, cum omni claſſe in Panormitanum revertitur*. Ex Polybio: *Vibonenſes autem libentius agri depopulationem, urbiſque terrorem pati, quam a Romanorum fide diſcedere voluerunt: Senatuſque hoc poſtea percito, ſexto Pomponio Legato cum vigintiquinque longis navibus vibonenſem agrum, maritimamque oram Italiæ tuendam attribuit*. Ex eodem lib. 6. *Græcas urbes, in Romanorum ſocietate manentes, Hannonem tentaſſe. Locrenſesque inter alios ſua ſponte urbem omnem neceſſariis rebus, quo Pœnis pertinacius reſiſterent, inſtruxiſſe*. Ex quibus Barrius noſter concludere pro re noſtra jure potuit: *Non enim Carthaginenſes Locrenſium, Brutiorum, Vibonenſiumque, ac demum utranque Calabriæ maritimam oram omnem vaſtaſſent, ſi Populi ad Pœnos deſciviſſent, & ſocietatem cum illis iniiſent. Itaque ex Tranſpadanis Italis Boji, primi omnium Italorum, & cum ipſis Inſubres, & Ligures, a Romanis ad Hannibalem defecere, ſocietatemque cum eo iniere; non autem Brettii, cæterique Calabri.*

Ut autem oratio noſtra eo revertatur, unde digreſſa eſt, concludendum ſupereſt, nunquam Brutios Chriſti tortores fuiſſe, quia pœna illa a Romanis

nis fuerint mulctati, ut Lictoris, aut Carnificis, ferale munus in Provinciis ſubirent. Quod ſi officium hoc Brutiorum fuiſſet Chriſti mortis tempore, cur ſuccedente propiori ævo non fuit? Tot enim Martyres legimus in eorundem actis, & flagellis cæſos, & morte etiam affectos; & in nullius flagellatione, vel morte, Brutiorum memoriam invenimus; quod quidem ſuperius obſervavimus, & hîc iterum obſervare, haud inopportunum judicamus. Alii Lictores, alii Tortores, Lorarii alii profecto fuerunt; cur non autem Brutii, ſi iidem in provinciis hoc pro munere ſimul, & pro ſupplicio, habebant? Poſt Chriſti mortem fortaſſis atrox pœna deſiit? Sed qua mercede? qua gratia? Dicendum ergo, nunquam Brutiorum illud fuiſſe munus, nec in Chriſti morte, quemadmodum poſt eandem in Martyrum morte non fuit.

Sane quis aſſeret, Jacobum, Johannis fratrem, fuiſſe a Brutiis gladio percuſſum? Stephanum Levitam a Brutiis lapidatum fuiſſe? Paulum a Brutiis ter flagellis cæſum, ſemel ſaxis fuiſſe vulneribus affectum? Et tamen hæc omnia non longe a Chriſti morte eveniſſe, in ſacris etiam paginis invenimus. Vel ergo nunquam Brutii in Chriſti morte lictores, tortores, lorarii, carnifices, fuerunt; quia nec ante mortem illam, eos legimus, nec poſt eandem, feralia munera illa exercuiſſe: vel ulterius aſſerendum, nunquam Brutios ea pœna mulctatos a Romanis fuiſſe, ut munera illa obirent; quia nec primi a Romanis ad Pœnos defecerunt; nec ultimi a Pœnis redierunt ad Romanos: Quod præcipuum erat a nobis, contra nuperum Scriptorem Gallum, ejuſque patronos, & aſſeclas, ſi qui ſunt, oſtendendum.

Digitized by Google

ERRORUM.	*CORRECTIO.*	
diem	idem.	*In Præfat.*
quirites	Quirites.	*f.* 9.
Patiſcus	Pitiſcus.	9.10.15.
etiam vitæ	etiam cum vitæ jactura;	53.
immemoralibi	immemor alibi.	54.
Punicum Crotonem	Punicum. Crotonem.	69.
primus	primum.	76.
primus	primum.	76.
quidem	quidam.	85.
quod milites	milites.	102.
ſepultum	ſepulcrum.	98.
Manlium Conſulem	Manlius Conſul.	

CÆteros corriget humaniſſimus Lector: utinam hoc idem facere potuiſſet Auctor alio in Opere, hoc eodem anno typis dato, cui titulus: *Polonæ Gentis Religio &c.* At ejus abſentia, Correctoris facilitas, & Impreſſoris celeritas, effecerunt, ut Opus, pluribus mendis deformatum, in publicum veniret. Et quum Auctor amplius non potuerit facto occurrere, haud aliud eidem ſupereſt, quam Legentium pietatem, atque benignitatem, implorare.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM.

A.

Accenſi quid, quidve eorum munus? Pag. 18.
Aedilii Scribæ quid? 17.
Alexandrini Romanorum ſervi. 61.
Alphonſus Salmeron confutatus. 86.
Ambroſius Calepinus infeſtus Brutiis. 64. *Confutatur.* 65. *Errores, in quos incidit, recenſentur.* ibid.
Animadverſio Lictorum quid? 7.
Antonius Mungitore, Canonicus Panormita, laudatur. 63.
Apparitores quid, quidve eorum munus? 11. *ex Libertis, & Libertinis, eligebantur.* 12.
Appianus Alexandrinus, & Auctorum de ejus operibus cenſuræ. 50. *Satis non ſibi conſtat.* 54.
Apuli capti ab Hannibale. 35.
Argentanum ab Hannibale ad Romanos redit. 41.
Arpini in fidem a Romanis recepti, & qua pœna mulctati. 40.
Aſiatici Romanorum ſervi. 61.
Atellani capti ab Hannibale. 35.
S. Auguſtinus, ejuſque judicium de Aulo Gellio. 32.
Aulus Gellius, & ejus auctoritas, atque fides. 31.

B.

Baronius male habitus a Serry, vindicatur. 110. *Brutiis favet, non obſtat.* 117.
Beſidiæ Colonia Romanorum. 71. *Ab Hannibale ad Romanos redeunt.* 41.
Bithyni Romanorum ſervi. 41.
Blount, ejuſque judicium de libris Catonis. 43.
Bodinus, ejuſque cenſura de Appiano Alexandrino. 50.
Boij fuerunt primi, qui ad Hannibalem defecerunt. 27. *quam regionem incolebant?* 28. *Deſertores, & Proditores Romanorum.* 29. *Unde in Italiam venientes?* 30. *Quinam populi in Italia eſſent?* ibid. *Quo demum ex Italia in pœnam a Romanis coacti ſunt tranſmigrare?* ibid.

Boij

Digitized by Google

Boji Itali, Boji Germani, & Boji Galli, illorumque differentia. 30.
Bretia olim dicta Conſentia. 55.
Bretius, Herculis filius. 55.
Bretii a Græcis, qui a Romanis Brutii, dicebantur. 55.
Britani Romanorum ſervi. 61.
Bruta Gens Romæ nobiliſſima. 48.
Brutiani, de quibus Cato ſcribebat, quinam fuerint? 47. *Non fuerunt a Brutiis dicti.* 59.
Brutianæ Parmæ quid eſſent? 77.
Brutianus campus Romæ trans Tyberim flumen. 47.
Brutii apud A. Gellium ſcripti pro Bojis. 27. *capti ab Hannibale.* 35. *ab eodem iterum oppreſſi ex Livio.* ibid. *interfecti apud Tarentum cum Tarentinis, & Carthaginienſibus.* 36. *in fidem a Romanis recepti, & qua pœna mulctati?* 46.
Brutii antiqui, & moderni, & eorum in tempore differentia. 46. *Quando in has oras deſcenderunt?* 45. *Non fuerunt Carnifices ſanguinarii.* 124.
Brutos nemini ſignificat obſcænum, ſed aliis ſtultum, aliis fortem. 66.

C.

C. Antonius, Rheginus, 9. *Cæſaris Legatus in Galliis.* 76.
C. Marius, ſepties Conſul, fuit Arpinas. 74.
Campani a Romanis ad Hannibalem deficientes. 34.
Cannenſis victoria, ab Hannibale reportata, omnium infauſtior Populo Romano. 35.
Cappadoces Romanorum ſervi. 61.
Carnifices ex foro, & urbe, ſublati. 9. *Quid eorum munus?* 24. *in ſuburra habitabant.* 24.
Cato detegit, & percuſſit, Scribarum ignorantiam, & inſolentiam. 17.
Caulonia Colonia Romanorum. 70.
Centuriones habebant Accenſum. 18.
Cohortales Apparitores quid? 17.
Conſentia contra Hannibalem ſe defendit. 39. *capta ab Hannibale, ad Romanos redit.* 40. *dicitur magna urbs Brutiorum ab Appiano.* ibid. *Colonia Romanorum.* 70. *poſtmodum Municipium.* ibid. *& Civitas fœderata.* 72.
Conſentini ex Livio primi in fidem P. R. redeuntes. 40.
Coſa Colonia Romanorum. 71.
Conſules habebant Accenſum. 18.
Conſuli duodecim Lictores concedebantur. 9.

Cor-

Digitized by Google

Corneliani erant Lictores. 11.

Cornelii Nepotis teſtimonium de M. Porcio Catone. 42.

Corſi Romanorum ſervi. 61.

Craſſus Conſentiam ab Hannibale abſtrahit. 54.

Croto Colonia Romanorum. 70.

Crotonenſes capti ab Hannibale. 35. *primitus eidem fortiter reſiſtebant.* 37.

Cubicularius Scriba quid? 17.

Cyprii erant Lictores. 11.

D.

Dampetia ab Hannibale ad Romanos redit. 41.

Decuriones habebant Accenſum. 18.

Decemviri quo tempore in Urbe fuerunt? 45.

Dictatori vigintiquatuor Lictores praibant. 8.

Differentia inter Apparitores, & Lictores. 12.

Diodorus Siculus, Hiſtoricus celebris. 63.

Diſcolores Penulæ erant veſtes Apparitorum. 13.

Dominicus Martyr, Calaber, laudatur. 43.

Donatus Calvus, Bergomenſis, confutatur. 121. *ejus lapſus in Geographia.* 122. *ejus in hiſtoria antilogiæ.* ibid.

Dux Cohortis erat ad flagellandum primus. 101.

E.

Elias Gentilibus haud notus. 82.

Elias de Amato, eruditus Carmelita, laudatur. 66.

Eraſmus, ejuſque judicium de A. Gellio. 32.

F.

Fabii, Pater, & Filius, eorumque honoris contentio. 7.

Fabius, M. Fabii filius, L. Papyrio Dictatore jubente, ad mortem damnatus. 10.

Feſtus Pompejus confutatur. 10.

Fides Brutiorum erga Romanos. 58.

Flaminius victus ab Hannibale ad Traſimenum. 53.

Fulvius, capta Capua, in Campanos Senatores animadvertit. 34.

G.

Galliani erant Lictores. 21.

Galli Ciſalpini capti ab Hannibale. 11.

Galli Romanorum ſervi. 35.

Gallus percuſſor ad C. Marium occidendum mittitur. 61.

Gelaſini dicuntur dentes anteriores, quos ridendo demonſtramus. 111.

33. *Gel-*

Gellius idem ac riſus. 33.
Gentiles an fuerint Chriſti Tortores? 79. *Non fuerunt, qui Petrum ad negandum Chriſtum Jeſum induxerunt.* 96.
Germani nobiles, ultimo ſupplicio damnati, a quibus percutiuntur? 47.
Germanus Servus publicus, & Percuſſor Romæ. 111.
Græcorum omnis ora capta ab Hannibale. 35.
Gregorius a Jeſu & Maria confutatur. 119.

H.

Hannibal Hasdrubali fratri in Romano bello ſuccedit. 33. *T. Sempronium Tacitum ad Trebiam ſuperat.* ibid. *ad Traſimenum vincit Flaminium.* 34. *vult ſecum adducere Brutios in Africam.* 50. *reſiſtentes ad eundum occidit.* ibid. *ejus furor in Brutios omnes.* 53.
Herina ſolo æquata ab Hannibale. 53.
Hetriculum ab Hannibale ad Romanos redit. 41.
Hetruſci Romanis dant Lictorum exemplum. 5.
Hipponum Colonia Romanorum. 70. *poſtea Municipium.* ibid.
Hirpini capti ab Hannibale. 35.
Hiſtoricus non fuit A. Gellius, ſed Grammaticus. 31.
Honuphrii Panvinii judicium de M. Porcio Catone, ac de ejus operibus. 43.
Horologiorum defectum Romæ ſupplebant Accenſi. 18.

I.

J. Vincentius Gravina laudatur. 13.
Inſignia Lictorum quænam fuerint. 8.
Interpretes quid, quidve eorum munus? 19.
Itali primi in mundo vocati, qui modo Calabri dicuntur. 67.
Judas non ad Pilatum, ſed ad Principes Sacerdotum, abiit. 94.
Judæi comprehendunt Chriſtum in horto. 94. *an iiſdem liceret, quemquam interficere?* 99. *Eorum Miniſtri Chriſtum ad columnam flagellarunt.* 97.
Junius Brutus a Lictoribus vult filios virgis cædi. 10. *fuit romanæ libertatis aſſertor.* 48.
Juſti Lypſii judicium de libro Catonis de falſis pugnis. 43.
Juramentum egregiis viris, & infirmis mulieribus olim domi delatum. 13.

L.

Legio ſecunda Romanorum ex Brutiis compoſita. 76.
Liber Catonis de falſis pugnis *ſuppoſitus, & adulterinus.* 43.
Liburni Romanorum ſervi. 61.

Li-

Digitized by Google

Lictores fuerunt liberi, non ſervi. 6. *aliquando liberti.* 16. *an eſſent Carnifices?* 9. *Eorum munus quodnam fuerit.* 5. *a quibus exercendum?* ibid.
Lictor proximus, & Lictor primus, quid? 8.
Lingua Syriaca, ubi, & quando nata? 83.
Livio major adhibenda fides, quam Gellio. 41. *ejus teſtimonium contra Brutios explicatur.* 52.
Locrim fuiſſe volunt fœderatam Civitatem. 75. *naves mittit in auxilium Romanorum.* 76. *reſiſtit Hannibali.* 37.
Lorarii quid, quidve eorum munus? 23.
Lorum quid apud Antiquos? 23.
Lucani erant Lictores. 11. *capti ab Hannibale.* 35. *in fidem a Romanis recepti, & qua pœna mulctati?* 40. *Qua ratione dicti ſunt Conſentiæ fundatores?* 56.
L. Junius Brutus auctor cædis Tarquinii. 59.
L. Temeſanus, Romæ Prætor. 76.
L. Rheginus, Tribunus Plebis. 76.
L. Papyrius, Dictator, ad mortem damnat Fabium, M. Fabii filium. 10.
L. Rufus apud Livium teſtatur, Campanos primos a Romanis ad Hannibalem defeciſſe. 34.
Ludovicus Vives, ejuſque judicium de A. Gellio. 31.
Luſtricus, Brutius, Proconſul. 77.
Lycii Romanorum ſervi. 61.
Lypſii cenſura de Strabone. 61.

M.

Magiſtro Equitum ſex Lictores permittebantur. 9.
Mamertum Colonia Romanorum. 71.
Manlius Conſul filium victorem ad mortem damnat. 10.
Manlius, Turinus, primum Ædilis romanæ plebis, poſtea Prætor. 76.
M. Agrippa, Arpinas. 74.
M. Tullius Cicero, Arpinas. 74.
M. Porcius Cato Cenſorius, ejuſque patria, & munera. 42.
Medi Romanorum ſervi. 61.
Mæſii Romanorum ſervi. 61.
Meretrices olim Romæ in Suburra habitabant. 24.
Metapontini capti ab Hannibale. 35.
Milites flagellarunt ſimul cum Judæis, ſoli autem Chriſtum ſpinis coronaverunt. 103.
Mimi dicuntur Gelaſini, & quare? 33.

Mulieribus infirmis juramentum olim domi deferebatur. 131.
Munus Lictorum triplex, & quale? 6.

N.

NOctes Atticæ A. Gellii quid? 32.
Notarii antiquitus in quo a Scribis differebant? 15.
Numa Pompilius an Pythagoram audierit, qui apud Crotonem docebat? 46.
Numiſmata apud Fulvium Urſinum de Gente Bruta. 58.
Numiſmata Brutiorum Bretiam continent. 56.

O.

OCtavianus, Octaviani auguſti Pater, Turinus, Senator Romanus fuit. 77.
Oppius dictus Centurio, qui Chriſti morti interfuit, 89. *cujus nationis fuerit?* 90.

P.

PEtellia, Colonia Romanorum. 70. *poſtmodum Municipium.* ibid. *ejus fides erga romanam Rempublicam, & contra Hannibalem reſiſtentia.* 39.
Phariſæi an, & quomodo a Scribis diſtincti? 15.
Picentes in duplici fuerunt differentia, & quales? 112.
Picentini erant Lictores. 11.
Phryges Romanorum ſervi. 61.
Pilatus ubi natus? 85. *flagellavit Chriſtum propriis ipſe manibus.* 101.
Plebis homines ex Livio favebant Pœnis, Proceres Romanis. 37.
Praſſiteles, Brutius, factus Romanus Civis. 77.
Præcones quid, quidve eorum munus? 20.
Prætio Lictorum quid? 6.
Prætori ſex Lictores dabantur. 9.
Prætoriani Apparitores quid? 12.
Prætorii Scribæ quid? 17.
Publius Gravius Conſentiæ Municeps. 70.

Q.

QUæſtori nulli permittebantur Lictores. 9.
Quæſtorii Scribæ quid? 17.
Quirites Plebeji; ut plurimum Lictores erant. 6.
Q. Flaccus rationem Senatui reddit, quare Campanos divexet. 34.
Q. Minutius, Turinus, primum Ædilis Curulus, deinde Triumvirûm unus. 76.

Rab-

Digitized by Google

R.

Rabbini modo iidem ſunt apud Hebræos, ac olim Scribæ. 14.
Rhegium Brutiorum urbs. 38. reſiſtit Hannibali. 37. Colonia Romanorum. 70. poſtmodum Municipium. ibid. deinde fœderata Civitas. 75. naves mittit in Romanorum auxilium. 76.
Rhodiani erant Lictores. 11.
Rhodigini cenſura de Strabone. 61. idem in multis carpit Diodorum Siculum. 63.
Romanæ Legiones quæ, & quales? 86.
Romani Milites erant, qui ſub Romanorum ſignis militabant, cujuſcumque nationis eſſent. 99.
Romulus inſtituit inter Romanos Lictores, exemplo ab Hetruſcis petito. 5.
Rorarios inter & Accenſos differentia. 19.
Ruſcia Colonia Romanorum. 71.

S.

Samnites capti ab Hannibale. 35.
Samuel Pitiſcus laudatur. 5.
Sanguinarii Carnifices quinam eſſent? 101.
Sardi Romanorum ſervi. 61.
Scaliger, ejuſque judicium de A. Gellio. 32. ejuſdem cenſura de Appiano. 50.
Scioppius, ejuſque judicium de A. Gellio. 32.
Scribæ apud Hebræos quid? 14. quid apud Romanos? 15. munus eorundem ſunt qui ſcribunt fuiſſe vile, alii in bonore poſitum dicunt. 16.
Eoſdem quidam aſſerunt fuiſſe libertos, alii fuiſſe ingenuos. 17.
Scyllacium Colonia Romanorum. 71.
Senatores Romani ut plurimum morabantur in agris. 21.
Servi publici quid, quidve eorum munus? 22.
Sigonius incaute ſubſcribit Gellio. 44. ejus cenſura de Appiano. 50.
Strabo confutatur. 61.
Submotio Lictorum quid? 6.
Suburra olim Romæ Lictorum & Meretricum, atque Carnificum regio. 24.
Sypheum ab Hannibale ad Romanos redit. 41.
Syri Romanorum ſervi. 61.

T.

Tabellarii an diverſi a Viatoribus? 22.
Tarentini ab Hannibale capti. 35.

Ta-

Tarentum Colonia Romanorum. 70.
Tarquinio Priſco faſces allatæ ab Hetruſcorum Legatis, quid? 8.
Temeſa Colonia Romanorum. 69.
Tertulliani verba de Lictoribus. 113.
Tintinnabula erant inter Carnificis inſtrumenta. 24.
Titus Sempronius Tacitus ad Trebiam ab Hannibale ſuperatus. 33.
Tortores quid, quidve eorum munus? 25. *in Evangelio quid ſignificent?* ibid.
Tribuni percutiebant nobiles Milites, honoris ergo. 47.
Tribus Levi, & Simeon, inter Populum Iſraeliticum diſperſa habitabant, & quare? 14.
Triumphantibus adſtabat Carnifex, & quare? 25.
Turium Colonia Romanorum. 70. *poſtea Municipium.* ibid.

V.

VErborum caſtigatio fuit, qua Romani mulctarunt Populos, qui ad Hannibalem defecerunt. 40.
Vergæ ab Hannibale ad Romanos redeunt. 41.
Veſpeſianus Reatinus. 75.
Vſſugum ab Hannibale ad Romanos redit. 41.
Viatores quid, quidve eorum munus? an a Tabellariis diverſi? 22.
Vibonenſes nolunt a Romanorum fide diſcedere. 39.
Vilius, Hipponenſis Brutius, Legatus Lentuli. 76.
Virginibus Veſtalibus in publico ſemper unus Lictor præibat, & quare? 9.
Viris egregiis juramentum domi deferebatur. 13.
Volſcentes in fidem a Romanis recepti, & qua pœna mulctati? 40.
Volturnius, Crotonenſis, Legatus Lentuli. 76.
Voſſii critica in opera M. Porcii Catonis 42. *cenſura de Appiano Alexandrino.* 50. *cenſura de Strabone.* 61.
Vrbs Brutia nulla inter Præfecturas adnumeratur. 73.
Vulnerans ſeipſum Carnificis loco habebatur. 25.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google